III B

Digitized by the Internet Archive
in 2014

https://archive.org/details/regumneapolitano00gb16


Regum
NEAPOLITA-
NORVM.
VITAE. ET
EFFIGIES.
AVCTORE B.G.
Regium
Ætna
Meſſina
cIↃ.IↃcV.
AVG. VINDEL. SVMPT. DOMINICI CVSTODIS.
COELO RAPHAEL. CVSTODIS.

MAXIMO ET POTENTIS-
SIMO MONARCHÆ

PHILIPPO III. HISPA-
NIARVM, INDIARVM, NEA-
POLIS, SICILIÆ, HIEROSO-
LYMORVM etc. REGI
CATHOLICO.

AVSTRIÆ ARCHIDVCI, BVRGVNDIÆ, MEDIOLANI, LOTHARINGIÆ, BRABANTIÆ, LIMBVRGI, LVCEMBVRGI, GELDRIÆ, CALABRIÆ &c. DVCI: FLANDRIÆ, ARTESIÆ, HANNONIÆ, HOLLANDIÆ, SEELANDIAE, NAMVRCI, ZVTPHENI, BVRGVNDIAE, HABSPVRGI, TIROLIS &c. COMITI: CANTABRIAE, MOLINAE, PHRISIAE, MECHLINIAE, VLTRAIECTI, TRANSISVLANAE GRVNINGAE &c. DOMINO:

Domino ſuo Clementiſſimo.

PHILIPPO III.
HISPANIARVM REGI CATHOLICO

Pontentiſſimo invictiſſimo.

CVm non ita pridem, Catholice Rex, in hiſtoriam Regum Neapolitanorum, & illorum effigies quoquo modo deſcriptas incidiſſem, venit in mentem poſſe, i ilos meliore cælo deſcribi, tentatum opus, non peſſimè vti mihi perſuadebam, ſucceſſit. Ergo à Rogerio Normanno quem primum Neapolitanum Regem deſignant exorſus vſque ad T. S. Maieſtatem omnes delineaui, vnumq; velut ſub aſpectum poſitos regio nomini tuo conſecraui. Debui hoc S. T. Maieſtati, in cuius ditione Antuerpiæ natus, & à puero ſemper Auguſtis & clementibus Auſtriacorum ſceptris ſubiectus, nunquam ab auguſtæ familiæ veneratione defeci, quin & parens meus, memoriæ & cultui regiæ Maieſtatis dediti ſſimus Duces Aduaticos & Belgicę comites ſtilo quam potuit ſolertiſſimo effigiauit, cuius ego veſtigijs inſiſtens, ante quartum & viceſimum annum Oenipontc, ſub Sereniſſimi Ferdinandi Archiducis Ferdinandi Imperatoris Filij auſpicijs, Cæſarum regum, Principum, aliorumq; heroum panopliam inchoaui, maximamq; eius partem perfeci. Comites quoq; Tirolenſes, Saxones imperij ſeptemuiros, Boiorum Ducum genealogias ære deſcripſi, aliaq; haud pauca conatus hodieq; conor ad poſteritatis exemplum. Quod ſi in his regum Neapolitanorum iconibus non ipſiſſima heroum lineamenta ſum aſſecutus, libens melioribus prototypis oblatis, meas ad illorum veritatem emendabo. Sereniſs.a. T. M. infima hæc ſui clientis officia clementi vultu admittere, ſuoq; patrocinio dignari ne grauetur. Auguſtæ Vindel. VI. Idus Septembris M. D. CV.

S. T. M.

poſtremiſſimus.

Dominicus Cuſtodis Antuerpianus Chalcographus. nunc ciuis Auguſtanus.

PHILIP-

PHILIPPO DOMINICO VICTORIO PHILIPPI II. Hiſpaniarum Regis filio Votum.

IT e genethliaci poſito cum ſidere vates,
Sideribus leges magne Philippe dabis.
Natus es alme puer cæli melioribus aſtris,
Qualia traxerunt ex Oriente duces.
Indus vterq; tuas colit imo poplite cunas,
Neptunus nomen portat vterq; tuum.
Publica creſce ſalus, tremor hoſtis, ciuis aſylũ
Spes Martis, clypeus Palladis, orbis amor.

IN VITAS REGVM NEAPOLITANORVM.

Proœmium.

COllapſa Romanorum potentia, Neapolitanum regnum, diuerſis temporibus, diuerſæ nationes tenuere: Græci, Gothi, Longobardi, & Saraceni. Græci, quòd ceteros viribus anteirent, vniuerſo regno, ſubmotis æmulis, potiti ſunt vſque ad Normannorum in Italiam aduentum. Normanni à Sergio IV. Pont. Max. in auxilium vocati, quòd is Saracenos Sicilia, qua tum potiebantur, eijcere conſtituiſſet, anno Virg. Part. 1007. duce Guilelmo Ferrabraccio, Tancredi Altauillani Comitis, Romandiolæ & Hetruriæ parti dominantis filio, in Siciliam delati, & Maniaco Græcorum exercitus præfecto coniuncti, Saracenos inſula expulerunt. Diſcordia, inde, inter Duces orta, quòd Græci in diuidenda præda iniquiores fuiſſent, quum ad manus ventum eſſet, Maniacum Ferrabraccius deuicit, eoque ſuperato, Apuliam totam occupauit, cuius ſe Comitem nuncupauit: ſed breui tempore ea potitus, anno 1013. ſine prole defunctus, ſucceſſorem habuit Drogonem fratrem; ad annum 1028. mortuum, cui Vnfredus, item frater, ſucceſſit, à populo, ob crudelitatem, interfectus. Hunc Gothifredus frater, quartus Apuliæ Comes, excepit, duabus contra Græcos pugnis adeò felix, vt totam illis propè Calabriam eriperet. Anno deinde 1032. moriens, hæredem filium Bagelardum reliquit. Is quinque tantum menſium & vndecim dierum Comes, à patruo Roberto Guiſcardo pulſus, Guiſcardus, omnium primus, beneficiarium ſe & clientem Romanæ Eccleſiæ profeſſus eſt, quum eum Nicolaus II. Pont. Max. Apuliæ & Calabriæ Ducem creaſſet. Græcos & Saracenos Capuam obſidentes cecidit; Mauros Siciliæ montanis incluſit, omnes cis Dyrrachina iuga populos, Macedoniæ etiam, & Epiri partem, dicto audientes fecit, Alexium Byzantinum Imperatorem fugere coëgit. Corcyræ tandem è viuis exceſſit. E trium vxorem prima Albeneda Capuana duos genuit filios; Robertum in pueritia mortuum, & Boemundum: totidem ex altera Sigelaica Salernitana, Rogerium, & Siuardum; filiamque Eriam. Tertiam duxit Iſabellam Cypri regis filiam. Defuncto Roberto, & Boemundo in Græcia gerendis bellis occupato, minor natu Boemundi frater Rogerius vtrumque Principatum Apuliæ & Calabriæ ſui iuris fecit. Quod quum Vrbanus II. Pontifex ratum habuiſſet, irritatus Boemundus, bello perſequi fratrem coactus eſt. Durante bello, quum Boemundus multos Galliæ, Italiæ, Germaniæ, & aliarum gentium Proceres, per Apuliam, vt Syriam recuperarent, ire cerneret,

coniungens


coniungens ſe illis, vnà in eam contendit, pacata Apularum rerum omnium poſſeſſione Rogerio fratri relicta. Is duobus annis, menſibus quatuor, viginti diebus, Ducem egit, & Adelam Roberti Friſij Flandriæ Comitis filiam in matrimonio habuit, ex ea Guilelmum, Malgerium, & Geofredum, filios tulit. Guilelmus, *à patris morte, Principatum vtrumque obtinuit, Gelaſio Pont. Max. ad annum* 1118. *illi iura quæ priores Duces habuerant, omnia conferente. Ceterum dum Conſtantinopolim Guilelmus peteret, promiſſam ſibi Comneni Imperatoris filiam ducturus, populis ſuis Calixto Pontifici interim commendatis, neque de fide Rogerij Siciliæ Comitis (cui Rogerius Roſſus pater, Robertus Guiſcardus ſeu aſtutus frater fuerat) ſiniſtri aliquid facilè ſuſpicaretur: Rogerius ſpretis Pontificis viribus, ſuam in poteſtatem Calabros & Apulos redegit: Guilelmus à Græco etiam Cæſare deceptus, cum Salernitano Principe propinquo ſuo auſugiens, vbi* 17. *omnino annis,* 7. *menſibus rerum potitus erat, improlis obijt.*

SEQVVN-


SEQVVNTVR GENE-
ALOGIÆ REGVM NEAPOLITANORVM.

GENEA-


GENEALOGIA REG. NEAPOLITANORVM EX LINEA NORMANNICA.



GENEALOGIA REG. NEAPOLITANORVM EX LINEA SVEVICA.




GENEALOGIA REG. NEAPOLITANORVM.
EX LINEA GALLICA.



D.


GENEALOGIA REGVM NEAPOLITANORVM.
EX LINEA DVCVM ANDEGAVENS. ADOPTATORVM.



GENEALOGIA REG. NEAPOLITANORVM EX LINEª ARRAGONICA.



GENEALOGIA REG. NEAPOLITANORVM EX LINEA HISPANICA.



IN-

IN REGES NEAPOLITANOS A.B.G. ACCLAMATIO M.H.A.

QVi, quos PARTHENOPE Reges tenuitq́;, tenetq́;,
Addita qui regum vultibus Acta vides:
Verſet vt humanas diuina potentia ſortes,
Et varias rerum diſce ſtupere vices.
Parthenopen regni dignam quæ fecit honore,
Gens è Normanno ſanguine prima fuit:
Illa ſibi Calabrum ſeruire, & Iāpyga iuſſit,
Et Siculum: Graios terruit ac Libyas.
Quin etiam veterum parti eſt dominata Syrorum,
Nobile vbi Antiochi mœnia nomen habent.
Quum ſuperis viſum Normannam tollere gentem,
Illius ſubijt Sueua propago locum;
Cæſareo præluſtre genus de ſtemmate, ſigna
Non minus ad priſcos quod tulit vſq; Syros;
Subdidit & Solymam tibi, pulchra Neapolis, vrbem,
Si modò manſiſſet, numine dante, tua:
Dij voluere aliud: Stirpem ſed & vltima Sueuam
Suſtulit illius ſceptraque quandodies:
Gallorum cœpit domus alta ab origine regum
Parthenopes auida ſumere ſceptra manu:
Hungarico ſeſe quæ dum cum germine miſcet,
E Ducibus reges Dyrrachijsque capit;
Deſijt. Hinc reges ab origine cœpit Iberâ
Parthenope, reges Tarraco clara tuos.
Horum vbi poſt paucas defecit linea meſſes,
Iura tamen Calabris rex dare pergit Iber:
Rex dare pergit Iber, ſeri perguntque nepotes,
Teutonica Hiſpano ſemine mixta domus:
Vt pergant læta cum poſteritate, vouendum eſt,
Dum iuga montis aper, flumina piſcis amat.
Ac de defunctisque ſuperſtitibusque memento
Regibus, & fas eſt, dicere quiſque BONVM.
Vt tamen, æternos aliâs, fortè æra perennent,
Artificis quædam, dic quoque, cura fuit.

F ROGE-

ROGERIVS NORMANNVS.

ROGERIVS, victoriarum ſucceſſibus elatus, regem ſe Italiæ nominauit; quo tamen titulo vltra VIII. calend. Auguſti anni 1131. ei gaudere non licuit, quòd ab Anacleto Pontifice, non niſi vtriuſque Siciliæ, cis & vltra fretum, Rex appellaretur. Ab Innocentio poſtea II. Pontifice, & Lothario II. Cæſare (dignitate Anacleto abrogata) in Siciliam Rogerius expulſus, ad extremum tamen, breui amiſſa omnia recuperauit; Tuneti regem tributum ſibi pendere coëgit, Emanueli Græco Imperatori hoſti ſuo multum terrarum eripuit: anno redditæ ſalutis 1149. ætatis 59. in Sicilia rebus humanis exemptus eſt; quatuor vxorum, dum viueret, maritus; Airoldæ Caſertanæ, Albiræ Hiſpanæ, Sibyllæ Burgundicæ, & Beatricis Reſtenſis. E Sibylla Rogerium Apuliæ Ducem, & Arnulfum Salerni Principem; è Beatrice Guilelmum Principem à Tarenti (regem poſtea Neapolitanum) & Conſtantiam filiam, liberos genuit: Mileti in Calabria ſepultus.

I. REX

I. REX NEAPOLITANVS.



GVILEL-

GVILELMVS MALVS,

GVILELMVS Malus, Rogerio & Arnulfo fratribus defunctis, patri ſucceſſit. Ab Hadriano IV. Pontifice diſsidere primò quum cœpiſſet, ei poſtea reconciliatus, quotquot à ſe defecerant populos mox paullò iuſſa facere coëgit. Huius temporibus arx Capuana, &, quod vocatur, Oui caſtrum Neapoli exſtructæ ſunt: ipſe anno 1167. colicis doloribus extinctus, quum nouemdecim annos, menſes decem regnaſſet, in ſummo templo, Panormi, ſepelitur: liberis è Margarita Garzia, Nauarræa, vxore, Rogerio (quem poſtmodum regem Siculi ſalutarunt) Guilelmo Tarentino, & Henrico Capuano, Principibus, relictis.

II. REX NEAPOLITANVS.



GVILELMVS,

BONVS.

GVILELMVS, hoc nomine ſecundus, cognomento Bonus, à parentis obitu, Rex factus, Alexandro III. Pontifici contra Fridericum Aënobarbum Cæſarem, opem tulit: Andronicum Imperatorem Cõſtantinopolitanum bello petiit: anno 1187. Panormi abſque hærede maſculo, deceſsit, ea in vrbe, à Iohanna coniuge, Richardi Angliæ regis ſorore, in æde montis regalis, regia pompa tumulatus.

III. REX

III. REX NEAPOLITANVS.



TANCRE-

TANCREDVS,

CALLIDVS.

TANCREDVS Rogerij Spurius, Guilelmi Boni patruelis, defuncto eo, vtriuſque Siciliæ rex creatus eſt. Atqui, quum Cœleſtinus Pontifex, Regnum, Romanæ Eccleſiæ (ad quam id, ceu legitimo ſucceſſore carens Beneficium redijſſe videbatur) ob imbecillas vires, aſſerere non poſſet, Henricum VI. Friderici Aënobarbi filium Cæſarem, regem etiam Siciliæ dixit, eique Conſtantiam Rogerij filiam, auctoritate Apoſtolica, Panormi è deuotarum virginum Cœnobio, cui Abbatiſſa præfuerat, eductam deſpōdit. Cæſar mox magno cum exercitu Neapolim obſedit, orta verò in caſtris peſte, obſidionem ſoluit, & Germaniam, quò accerſitus erat, repetijt. Occaſionem hanc amiſſa recuperandi oblatam Tancredus auidè arripuit. Subſequuta paullò poſt Rogerij filij mors tantum Tancredo patri dolorem attulit, vt anno 1195. fatis & ipſe concederet, & in ſumma æde, Panormi, eidem, cum filio, ſepulchro inferretur; quum è Sibylla coniuge duos filios, Rogerium, quem diximus, & Guilelmum (quem Henricus Cæſar caſtrari iuſſit) tresque filias, Alteriam, Conſtātiam, & Modoniam, ſuſcepiſſet, quas cū matre captas, & in Germaniam miſſas, Philippus deinde Imperatoris frater, qui Tancredi nurum, Rogerij viduam Irenen vxorem duxerat, libertati reſtituit. Atque hic maſculinæ Normannorum lineæ finis fuit, quum annis octoginta octo regno præfuiſſent.

IV. REX

IV. REX NEAPOLITANVS.



HENRICVS VI. IMP.

PRVDENS.

HENRICVS VI. Imperator, Neapolitani regni compos factus, aduentu ſuo rebelles Siculos domuit, Fridericum filium coronandum Siciliæ regem curauit: dúmque bellum contra Angliæ regem Richardum, ob natas inter ſe & ipſum diſcordias, pararet, IV. Idus Maij, anno 1200. in Conſtantiæ vxoris complexu animam exhalauit, quum imperaſſet annis nouem, in vtraq; Sicilia regnaſſet, vltra quatuor annos, menſe vno; in Eccleſia montis Regalis Panormi conditus. Fridericum filium regni ſucceſſorem teſtamento reliquit, tutoribus puero, Conſtantia matre, & Philippo Tuſciæ Duce patruo, conſtitutis.

V. REX

V. REX NEAPOLITANVS.



FRIDE-

FRIDERICVS II. IMP.

STRENVVS.

FRIDERICVS, puer adhuc, ab Innocentio III. P. M. curante & obtinente matre, in poſſeſſionem regni miſſus eſt, à Marchione Anconitano mire exagitatus, quòd is, mortua Friderici matre Conſtantia, tutorem ſe agere ſimularet. Nec minus ei negotij Sibylla Tancredi vidua faceſſebat, à Gualtero de Brienna, Campanienſi, Gallo adiuta, qui, mulieris ope, priſtinam in regno dignitatem recuperaturum ſe ſperabat. Vtroque autem periculo feliciter ſuperato, Imperator poſt modum creatus, Othonem æmulum (à Germanis, ob tyrannidem, Imperio motum) deuicit. E Germania inde in Italiam regreſſus, Henricum filium Aquisgranum miſit, cui Romanorum, ibi, regi coronato Agnetem Auſtriacam pater deſpondit. Fridericus ipſe Iolem Iohannis Brennenſis filiam vnicam, altero iam matrimonio, vxorem duxit. Brennenſis quidquid iurium Hieroſolymitani regni à Maria Iſabellæ & Conradi marchionis Montisferrati filia in ſeſe deriuatum obtinebat, id omne in generum donatione contulit. Ab eo tempore, omnes Neapolitani reges Hieroſolymitanorum etiam regum titulo vſi ſunt. Id verò regnum Fridericus, anno 1228. in Syriam profectus, totum recuperauit, ſeque ſequenti anno, in ipſa Hieroſolimorum vrbe, coronandum regem curauit. Anno tandem 1250. idibus Decembris vita functus eſt, quum Imperium Romanum triginta tribus: Siculum, & Hieroſolymitanum, Regna; hoc viginti octo; illud quinquaginta vno annis tenuiſſet: Panormi in montis Regalis ſacra æde humatus. E ſex, quas habuit, vxorum prima, liberi ei fuere; Henricus Rex Romanorum (à patre, quod ad Pontificem defeciſſet, anno 1236. interfici iuſſus) & Iordanus. Ex Iole, alterâ, Conradus Cæſar, idemque rex Neapolitanus. E tertia, Othonis Morauiæ Ducis filia, nihil liberorum: E quarta, Othonis Wolfhartzhuſani Comitis prole, Fridericum tulit, in infantia extinctum: E quinta, Duce Bauariæ Ludouico genita, Agnetem Conrado Thuringiæ Principi deſponſatam: E ſexta denique Mechtilde, filia Iohannnis Angliæ regis, Henricum aliquamdiu Siciliæ regem, & Conſtantiam Ludouici Haſsiæ Principis coniugem. Concubina denique Blanca Aquilana, Fridericum, Manfredum Principem Tarentinum qui poſtea Neapolim occupauit, Hencium Sardiniæ regem, & Fridericum Antiochiæ Principem, filiamque Annam, nothos ei dedit.

VI. REX

VI. REX NEAPOLITANVS.



CONRADVS IV.

CRVDELIS.

DVm CONRADVS Friderici & Ioles filius, patris in Imperio regnoque Succeſſor, in Germania gerendo contra Wilhelmum Hollandiæ Comitem Imperij competitorem bello occuparetur, Manfredus intereà ſpurius Conradi frater totum propè regnum ſibi vendicauit. Conradus autem è Germania reuerſus, quicquid populorum cum Manfredo ſenſerat ſibi rurſum parere coëgit, rebelles puniit, æneoque equo, in ſummo Neapolitano templo, capiſtrum iniecit. Extremò Manfredus, qui perpetuò regno inhiabat, rationem inijt, qua Conradus veneno interficeretur: qui eo infectus, IV. Non. Ianuar. Anno 1255. interijt, Neapoli in primaria æde ſepultus, quum, ab vrbe expugnata, duobus annis, diebus regnaſſet tredecim, & teſtamento Conradinum, quem ex Othonis Boiorum Ducis filia ſuſceperat, hæredem reliquiſſet.

VII. REX NEAPOLITANVS.



MANFREDVS,

SPVRIVS.

DVm Conradinus ſub matris tutela apud Boios ageret, MANFREDVS, pro tutore ſe gerens, Apuliam interim in poteſtatem redegit, quumque falſum de Conradini morte rumorem ſparſiſſet, regem ſe appellauit, & vt bello contra Vrbanum IV. gerendo ſufficeret, regiam gazam Panormo ad ſe tranſtulit: quod tantum terrorem Pontifici iniecit, vt is ſumma adductus neceſſitate, Caroli Andegauenſis Prouinciæ Comitis, diui Ludouici Galliæ regis fratris opem imploraret, eique iura vtriuſque Siciliæ regni ea lege cōdonaret, vti ſuo ipſius ſumptu ſibi Carolus illa quæreret. Ille igitur, cum Beatrice coniuge, Maſsilia Romam veniens, à Clemente IV. vtriuſque Siciliæ & Hieroſolymorum Rex coronatus eſt. Româ cum exercitu in regnum profectus, commiſſis aliquot cum Manfredo acribus prælijs, ad annum tandem 1265. plenam victoriam obtinuit, hoſtibus vnà cum Manfredo occidione deletis. Manfredi cadauer Andegauenſis principiò in foſſa quadam, propè Beneuentum, ſepeliendum curauit: ſed inde ablatum poſtea, extra regni fines auectum & ad ripam Maris fluuij conditum eſt. Decem annis, quatuor menſibus, diebus decem Manfredus regnauit: filios ei Helena coniux tres peperit; Henricum, & Geofredum, infantes mortuos; & Manfredum, quem Galli cum matre captum in Oui arce, Neapoli, carceri addixerunt: filiam etiam vnam, Conſtantiam, quæ deinde Aragoniæ regi Petro nupſit, qui Siciliam occupauit. Manfredus etiam propè Sipontinum ſinum Manfredoniam vrbem extruxit. Et in eo quidem Germanica Sueuorum Neapoleos regum ſucceſſio deſijt.

VIII. REX NEAPOLITANVS.



CAROLVS,

Sanguinarius.

CAROLVS, Dux Andegauenſis, Comes Prouinciæ, primus, hoc nomine, rex Neapolis, anno 1265. poſſidere regnum cœpit, vt diximus. Biennio poſt quàm Neapolim ingreſſus erat, à Clemente Papa, Viterbij, Rom. Imperij Vicarius in Italia creatus eſt. Paullò poſt Conradinus (à multis Principibus incitatus, vt Italia petita, relictum ſibi à patre regnum recuperaret) cum propinquo ſuo Marchione Badenſe; ingenti cum exercitu Regnum ingreſſus, multum negotij Carolo exhibuit, quouſque anno 1268. VIII. Calend. Septembr. pugna inter eos committeretur, qua Carolus victor euaſit, Conradinus autē & March: Bad: fuga ſeruare vitam conati, capti & Carolo oblati ſunt: quibus aliquamdiu in carcere detentis, VII. calend. Nouembr. anni 1269. Carolus Neapoli in foro capita amputari iuſsit. Fortuna inſuper Carolo adeò fauebat, vt quum Maria, Meluſinæ & Boēmūdi Principis Antiochiæ filia, cum Hugone Luſignano, huius nominis ſecundo, Cypri rege de iure regni Hieroſolymitani contenderet, Carolus ab ea vniuerſo eo iure donaretur. Ille itaque, quum ceſsionis ſeu donationis illius nomine, tum propter ea iura, quæ Iole Friderici II. Cæſ. coniux idem in regnum quondam habuerat, extemplò legitimum ſe illius regem denunciandum curauit, eoque qui vices ſuas gereret Rogerium Sanſeuerinum miſit, qui limites regni latius promoueret. Paullò poſt Rex ipſe in Africam abijt, D. Ludouico Gallorum regi fratri ſuo Tunetem obſidenti opem laturus. Quumque ijs in locis res Chriſtianis non admodum ex voto fluere animaduerteret, pacem cum Saracenis decem annorum fecit. Multis etiam moleſtijs Petrus Aragonius Conſtantiæ maritus, Siciliam ſui Iuris eſſe aſſerens, Carolum affecit, præſertim quum poſt interfectos anno 1281. idib. April. veſpere ſiculo, omnes per totam Siciliam Gallos, Aragonius in Inſulam veniens rex eſſet ſalutatus, quiritante magnoperè Gallo, & hoſtilibus vtrimque odijs vſque adeò auctis, vt ſingulari certamine inter ſe contendere reges ſtatuerent, loco pugnæ, Burdigala Galliæ, dicto, neque tamen propius congrederentur. Poſtremò, quum filius patri cognominis, à Rogerio Calabro, qui cum claſſe ſua Neapolitanum in portum venerat, captus eſſet, parùm abfuit, quin totam vrbem pater euerteret, niſi grauiſſimis legati Apoſtolici dehortationibus, & miſerabilibus innocentis populi eiulatibus fuiſſet mitigatus. VII. demum Idus Februar. anno 1285. hominem exuit, 20. annis 9. menſibus, 26. diebus regno potitus, in archiepiſcopali, quod exſtruxit, templo, Neapoli ſepultus. Coniux ipſi Beatrix fuit, Raimundi Prouinciæ Comitis filia, Caroli cognomento claudi, & Philippi (filia Achaiæ Principis ducta, viuo adhuc patre defuncti) mater.

IX. REX

IX. REX NEAPOLITANVS.



CARO-

CAROLVS,

CLAVDVS:

DEfunćto Carolo I. quanquàm filius cognomento claudus in Sicilia captiuus detineretur, à morte tamen Aragonij Petri (qui Aragoniam Alphonſo, Siciliam Iacobo filijs reliquerat) anno 1288. liber dimiſſus eſt. Quum autem Nicolaus IV. P. M. regni Siciliæ Feudum, quod vocant, Iacobo conferre nollet, anno 1289. Carolum vtriuſque Siciliæ, cis & vltra pharum regem denominauit, isque Neapolim, inſigni cum pompa, ingreſſus eſt. Cum Aragone deinde bello geri cœpto, finem, pace facta, anno 1291. impoſuit: natu maximum filiorum Carolum Martellum Equitem creauit, eumque, Ladiſlao Hungariæ rege abſque hæredibus mortuo, ceu Mariæ Ladiſlai ſororis filium, regem Hungariæ coronandum curauit. Huius tempore B. Cœleſtinus papa vixit, quo agente, pax inter Carolum & Iacobum Aragonium coijt. Iacobus, quum ab obitu Alphonſi fratris Aragonici regni hæreditatem adire cogitaret, tota Sicilia Carolo ceſſit, Pontifice inuicem pollicito, ſe apud Carolum Valeſium effećturum, vt is iuri in Aragoniæ regnum ſuo itidem renunciaret. Pactis hiſce magis confirmandis Blancam filiam Carolus Rex Iacobo Aragoni deſpondebat: iamque certa ſpe tenebatur, fore vt Siciliam totam quietè poſſideret, quum inopinatò Fridericum Iacobi fratrem ea potitum reperit, quem etſi grauiſſimo bello perſequeretur, recipere tamen Siciliam non potuit. Cum Friderico itaque coactus pacem inijt, ea conditione, vt quamdiu viueret Fridericus, inſulam poſſideret. Quamobrem filiam etiam Eleonoram ei elocauit, quum alteram Beatricem Azzoni Ateſtino Ferrariæ & Mutinæ Marchioni nuptum dediſſet. Propridie tandem Nonar. Maij anni 1309. ætatis 62. rebus humanis exemptus eſt, quum 25. annis, dieb. 17. regnum tenuiſſet. Neapoli, primùm, in templo D. Dominici tumulatus, vnde eum poſtea Robertus filius in Narbonenſem Prouinciam tranſlatum, Arelate in Deiparæ Nazarethanæ ſepeliendum curauit. Viuo adhuc patre, Carolus hic Mariam Stephani V. Hungarorum regis filiam vxorem duxerat, nouem liberorum matrem: ſex filiorum: Caroli Martelli Hungariæ regis, Rudolphi Cæſaris, per Clementiam coniugem, generi; Ludouici epiſcopi Tholoſani in Diuorum numerum relati: Roberti regis poſteà Neapolitani; Philippi Tarentini; Iohannis Achaiæ & Dyrrachij; Triſtanni denique Salernitani Principis. Filiarum trium; Clementia, Caroli fratris Philippi regis Gallorum Maria Blanca, Iacobi Aragonij regis Maioricæ: Beatrix, Azonis primum Ateſtini Marchion. vt dixi, Ferrariæ; Bertrandi deinde Balzij Comitis Montgiouini; demum Roberti Delphini Viennenſis, coniuges fuere. Præter nouem hoſce liberos, ſpuriôs etiam tres; Galeatium, Renatum, & Carolum Atrebatenſem, filios habuit.

IX. REX

X. REX NEAPOLITANVS.



ROBERTVS, X

PIVS.

QVum Carolus pater moreretur, Auenione, vbi tum erat Robertus, VII. calend. Septembr. anno 1309. à Clemente V. Pont. Siciliæ & Hieroſolymorum rex pronunciatus, quanquam reclamarent Caroli Hungariæ regis (Roberti, è Carolo Martello fratre, nepotis) legati, prudentia tamen ſua, quod volebat, obtinuit. Mox Neapolim reuerſus, ibi (poſtquam eum Pontifex è Gallijs Bononia tranſeuntem Ferrariæ præfectum deſignaſſet) pacatiſſimè exceptus eſt. Ac anno vixdum vno tranquillè regnauerat, quum Henricus VII. Imperator, coronationis ergò Romam contendens, cum Friderico Siciliæ rege contra Robertum fœdus inijt, quod Florẽtinis vt ſeſe ipſi opponerent, Robertus perſuaſiſſet. Intereà Henricus dum hibernaret, Robertum eò ad ſe vocauit, & non cõparentem, ceu læſæ maieſtatis reum, ſententia lata anno 1312. regno depoſuit, quam tamen ſententiam poſtea Clemens V. irritam pronunciauit, vt è Clementinarum volumine hodieque apparet. Ab Henrici morte Florentinis Aretinos bello petentibus Robertus Rex egregia militum manu auxilium tulit; ductu, primum fratris Petri, Grauinæ Comitis, deinde alterius fratris, Philippi Principis Tarentini. Hi anno 1315. cum hoſtibus prælium commiſerunt, quo, Florentinarum partium Petrus Franciſcus Fagiolæ, qui ad Aretinos defecerat Faſolæ filius, vnà cum multis alijs, cæſi ſunt. Genuam deinde, Guelphis opem laturus, denuò contendit, eamq; vrbem aduerſus Marcum Vicecomitem fortiſſimè tutatus, tantam nominis ſui exiſtimationem conciuit, vt Florentini filio ipſius Carolo, cognomento, ſine terra, ſeu Senzaterreo vrbis ſuæ imperium traderent, quum eis eo tempore Caſtracanus Caſtrucius eſſet longè moleſtiſſimus: quanquam Carolus quidem eo honore diu lætatus non eſt, quod Neapolim quum reuertiſſet, Catharinæ Auſtriacæ coniugis mortem, vſq; adeò grauiter ferret, vt anno 1324. præ mœrore, annos natus triginta vnum moreretur. Ceterum filij mors Robertum quoque patrem ſummoperè conſternauit. Is quum, extrema ſenectute, regnum, obiens, pacatum relinquere cogitaret, neptem, è Carolo filio, Iohannam, ea conditione, poſt ſeſe, reginam cõſtituit, vt Andreæ, qui eo nomine ex Hungaria venerat, nuberet, & vnà cum eo regnum adminiſtraret. Viribus inde ſenſim decreſcentib. X. calend. Martij, anno 1343. placidè exſpirauit, anno ex quo regnare cœperat, 33. 4. inſuper menſibus, & dieb. 24. ſepulchrum cui illatus eſt, ipſe ſibi, viuus adhuc, & Calabriæ Dux, in D. Claræ templo conſtruxerat. Primam vxorem, Iacobi Danonij Aragonum regis filiam Violantam habuerat, ex eaque Ludouicum filiolum in infantia extinctum, quem anno 1302. mater ſequuta eſt. Alteram, Sanciam Aragoniam Balearium inſularum reginam, Petri IV. Aragonum regis filiam, Caroli Senzaterrei matrem. Quæ 18. menſib. marito ſuperſtes, Cœnobio ſe S. Crucis, quod Neapoli ædificârat, incluſit. Adoleſcens etiãnum Robertus ſpuriam genuerat filiam, amorib. Iohan. Boccatij celebrem. Senzaterreus Carolus trium vxorum maritus fuit: Mariæ, ſororis Philippi Valeſij fratris regis Galliarum (quæ Carolum Martellum peperit, infantem adhuc defunctum, Iohannam, & Mariam) Mathildæ (è qua Mariam ſuſtulit æquè in infantia extinctam) & Catharinæ Auſtriacæ Henrici VII. Imp. viduæ, Auſtriaci Alberti Cæſ. filiæ, è qua nihil liberorum tulit: vnde regni ſucceſſio ad Iohannam Roberti neptem deuoluta eſt. Soror Iohannæ Maria, primis nuptijs Philippo Principi Tarentino, alteris, Iohanni Imperatori Byzantino & Dyrrachij Duci denupſit.

XI. Rex

XI. REX NEAPOLITANVS.



IOHAN-

IOHANNA ANDEGAVENSIS,

Infortunata.

IOHANNA, tantæ fuit prudentiæ mulier, vt (etiam nolente marito Andrea) ſola totum regnum adminiſtraret, quum anteà ſumma rerum penes Andream fuiſſet, qui, neglectis Italis & Gallis, Hungaros ad Maxima quaq; officia & dignitates prouexerat, vxore etiam adeò contemptim habita, vt de ſe ab eius moleſtijs liberanda ipſa conſilia iniret: quod quidem ei, cum Auerſæ eſſet, ſucceſſit, Andrea ibi ad annum 1345. ſtrangulato, &, magno Hungarorum terrore, è conclaui deiecto, quum interim ipſa ſummo in luctu ſe verſari, & extra omnẽ noxiam eſſe ſimularet, adeoq; è nobilitate quoſdam, qui totti facinus hoc ſe admiſiſſe faſſi erant, capitali ſupplicio tolli iuberet. Ludouicum poſtea principem Tarentinum, Philippi fratris Roberti filium, formoſiſſimũ adoleſcentem ſibi maritum adſciuit: quæ res ſuſpitionem interfecti reginæ culpa, Andreæ, vehementer auxit. Ludouicus itaque Hungariæ rex, ob interfectum crudeliter fratrem, vindictæ ſtudio ardens, anno 1348. magnis cũ copijs Neapolitanum regnum ingreſſus eſt, Iohanna illius aduentu adeò exterrita, vt cũ Tarentino ſuo Narbonem in Galliam aufugeret, cura regni Carolo Dyrrachino Ludouici primi Ducis Dyrrachini filio relicta. Quò facilius Hungarus rex vniuerſo regno potitus eſt, peſte tamẽ ingruente domum reuerti coactus, alium Carolum Ludouici filium (tum adhuc puerum, poſtea regem etiam) ſecum abduxit, Carolo verò Dyrrachino, quòd is in Andreæ mortem & ipſe conſenſiſſet, Sulmone caput præcidi iuſſit. Clemens tãdem Papa VI. inter Iohannam & regem his cõditionib. tranſegit, vt reginæ maritus non rex, ſed Princeps modò Tarentinus appellaretur, & defuncta regina regnũ ad Hungarum rediret. Iohanna ergo Neapolim ſtatim ſe retulit, & anno 1352. impetrauit, vt maritus etiam regio diademate ornaretur, atq; tunc gratitudinis ergò pro acceptis à Põtifice beneficijs, vetus ſuum patrimonium, Auenionem vrbẽ, Romanæ Eccleſię dono dedit, prętextu vectigalis, à die coronationis reginę Eccleſiæ Rom. debiti, nondum depenſi: Ab eo tempore, Auenio Pontificiæ ditionis eſt. X. porrò annis 3. menſib. cum Tarentino exactis, tertias nuptias cum Iacobo Aragonio Maioricæ, quem vocant, infante celebrauit, cui Ducis tantũ Calabriæ titulum tribuit: quo, breui pòſt, è viuis migrante, quarto matrimonio Othonem ſibi iunxit, Brunſuicenſem Ducem, Tarentini Principis titulo in eum collato, circa id tempus, quo Gregorius XI. P. M. Pontificiam ſedem denuo Auenione Romam, vnde 74. annis abfuerat, trãſtulit. Ab huius Pontificis morte, ſchiſmate orto, duo Pontifices ſimul creati, Vrbanus ſcilicet VI. & Gallicarum partium Clemens VII. Iohanna, hunc, Pontificem agnoſcente, Vrbanus VI. (qui victoriam obtinuerat) ſententia lata regnum ei ademit. Carolus itaq;, ſtatim exercitu collecto, è Pannonijs in Italiam profectus, Neapolitanum regnum recuperauit, & Neapolim ingreſſus Rex ſalutatus eſt. Regina alienas, extra Italiam, opeis implorare coacta, Ludouicum Andegauẽſem II. Iohanne Galliarũ rege natum in filium adoptauit, & quum exiguo tempore in Arce noua ſe continuiſſet, tãdem, vnà cũ Othone marito, anno 1381. Carolo ſe dedidit: qui Othone dimiſſo, Iohannã honorificè cuſtodiuit. Cuius, quum 10. iam menſib. in cuſtodia fuiſſet, ac multis etiam precib. cum Andegauenſe egiſſet, vt Neapolim veniens eam liberaret, pertæſus Carolus, miſeram XI. calend. Iunij, anno 1382. noctu ſtrangulari, eiuſq; cadauer Auerſam eum in locũ auehi iuſſit, vbi ipſa maritum Andream ſepeliri iuſſerat. Eodem die notham Roberti regis filiam Mariam, conſpirationis in Andream complicem, capite plecti voluit. Iohannæ corpus Neapolim relatũ, triduò, in D. Claræ tẽplo ſpectandũ omnibus publicè eſt propoſitum, ac propè monumentũ patris deinde conditum, tandem marmoreo ſepulchro illatum eſt, quod ei Caroli Dyrrachini vxor Margarita faciendũ curauerat.

XII. REX

XII. REGINA NEAPOLITANA.



CAROLVS DYRRACHINVS,

Hungarus.

CAROLVS III. Dyrrachinus, Ludouici Dyrrachini Carolo claudo nati filius, ſedatis vbiq; in regno tumultibus captiuos omnes dimiſit, & cum Margarita coniuge, anno 1382. in S. Iohan. Lateran. templo, Romæ, Vrbani papæ tempore, coronatus, eoq; ipſo adhuc anno à Ludouico Andegauenſe armis petitus magnoq; terrore adfectus eſt, quum is magnis cum copiis regnum ingreſſus, legitimum ſe Iohannæ reginæ hæredem nominaret, atque adeò non nullam regni partem ad defectionem iam impuliſſet. Pugna autem propè Barium commiſſa, quum Ludouicus, magna ſuorum parte cæſa, ſuccubiſſet, & quinq; adeò vulnera ipſe accepiſſet, Vigilias deuehendum ſe curauit, ibique anno 1384. 17. die Septembris vitam cum morte commutauit. Andegauenſe mortuo, Galli ſenſim è regno ſe ſubduxerunt, atq; pacatè Rex in poſterum regno præfuit. Sequenti ano, Hungariæ regnum Mariæ Ludouici regis filiæ ceſſit, quæ Sigiſmundo Bohemo nupta erat. Is, ob teneram adhuc ætatem regno necdum præeſſe poterat, idque ideò à Maria & matre ipſius regebatur. Sed Hungaricæ Nobilitatis parte mulieribus parere detrectante, illæ Carolum Dyrrachinum euocarunt, regniq; ad eum diadema detulerunt. Hanc occaſionem Carolus minimè negligendam ratus, conſcripto inſigni exercitu in Hungariam delatus, ac Rex ſalutatus eſt. Poſtea Budam tranſactionis, quam Reginæ obtendebant, ſpecie quum veniſſet, à Blaſio Forgaſſo & Italis Neapolitano regno in exilium pulſis interfectus eſt. Oſſa eius in arcam condita, quum mari Neapolim deueherentur, rapta à piratis & in mare coniecta ſunt. Acciderunt hæc anno 1385. E Margarita coniuge Ladiſlaum filium & Iohannam filiam reliquit.

XIII. REX

XIII. REX NEAPOLITANVS.



LADIS-

LADISLAVS,

Superbus.

LADISLAVM vel Lancelottum anno ætatis 10. patri Succedentem, principio Procerum quidam Andegauenſis factionis vſq; adeò exagitarunt, vt cũ matre Caietam ſecedere cogeretur. Aduentu Ludouici Andegauẽſis (Ludouico Vigilijs mortuo geniti) aucti tumultus: quod is, mari, Neapolim aduentans, regio prorſus more fuiſſet exceptus. Vrbani tamẽ ſucceſſor Bonifacius IX. ſacris ei confeſtim interdixit, & Ladiſlao vtriuſq; Siciliæ regni Feudum ſeu beneficium contulit, eumq; anno 1390. Caietæ, regẽ coronari iuſſit, auxilijs etiã ei miſſis. Abſente igitur Ludouico, qui ad colligendum exercitum in Narbonẽſem Galliam iuerat, vniuerſum regnum ſe poteſtati Ladiſlai denuo permiſit. Anno, vltra 1300. nonageſimo ſecũdo Conſtantiam cõiugem repudiauit Ladiſlaus, eamq; poſtea Andreę Capuano Comitis Altauillani filio natu maximo elocauit. Paullò poſt motib. Hungaricis adhuc durantibus, quum quidam Proceres Sigiſmundo Mariæ reginæ coniugi obedire nollent, Ladiſlaum euocarunt, eiq; regni Sceptrum obtulerunt. Is eò veniens, Zaræ in Dalmatia à Strigonenſi Archiepiſcopo coronatus eſt, atque illic aliquamdiu moratus, quum Sigiſmundũ adducto exercitu vt ipſum Hungaria pelleret aduentare intellexiſſet, Neapolim repetijt, vbi duos Sanſeuerinæ familiæ Proceres interfici iuſſit: elatus alioqui Princeps, vt vel tum apparuit, quum à morte Innocentij VII. P.M. Romã triumphatoris inſtar ingrederetur. Tum Florentinos oppugnare cœpit, Gregorium Pontificem, vt præſe ferebat, liberaturus, ſed reuera de vniuerſa Hetruria occupanda cogitans. Ludouicus interim Andegauẽſis è Gallijs reuerſus, icto cum Florentinis fœdere, Piſis (vbi Synodus conuocata, Gregoriũ loco mouebat) Alaxandrum V. vt verum Pontificem ſalutauit, ab eoq; Hieroſolymorum & Sicilæ regnorum Feuda, quæ vocant, impetrauit, addita declaratione, Ladiſlaum, quòd Romam cœpiſſet, regnorum propterea ſuorum iuribus excidiſſe. Anno itaq; 1410. Ludouicus hic cũ Iohanne XXIII. & Florẽtinis, claſſem aduerſus Ladiſlaum (qui cum Gregorio Papa XII. quem ceu verum Pontificem venerabatur, Caietam ſeceſſerat) inſtruxit, qua eum adortus, commiſſo prælio victus eſt, quæ victoria tantum animi Ludouico addidit, vt propè rupem ſiccam denuò cum Ludouico congrederetur, ſuccumbens tamẽ fuga euaderet. Ludouico autẽ victoria vti neſcio, & ad annum 1411. percuſſo animo Gallias repetente, Ladiſlaus inde abſq; æmulo potiri regno cœpit; & à rebellibus iam Beneficiarijs liber, cupiditate Romæ recipiendæ exarſit, vrbemq; anno 1413. vi expugnatam, militibus diripiendam conceſſit, paulloq; poſt, ibi, in morbum incidens, Neapolim reuertit, Paulũq; & Vrſum Vrſinos, quòd hoſtilium partium fuiſſent, captiuos ſecum abduxit. Morbo demum Neapoli decumbentis indies augeſcente, poſtrid. Non. Auguſti anno 1414. abſq; vllo hærede vitam finijt, quum annos vixiſſet 38. regnaſſet 28. menſeſq; octo, & dies 13. Iohannam Sororem regni hæredem inſtituit: nocturno tempore, abſq; vlla pompa, in templo D. Iohannis de Carbonara, Neapoli, ſepultus, vbi ei poſteà Iohanna ſoror magnificentiſſimum (quod hodieq; cernitur) monumentum exſtruendum curauit. Tres omnino vxores habuit; primam Conſtantiam Claromontanam Manfredi Siculi filiam, quam repudiauit: alteram Mariettam Iacobi Luſignani Cypri regis filiam: tertiam, Mariam Eugeniam Leccij Comitem. E nulla verò legitimam prolem ſuſtulit. Mariæ tamen Guinazza concubina, Carolum Principem Tarentinum, & Mariam, ante patrem defunctam, ei peperit.

XIV. REX NEAPOLITANVS.



IOHANNA DYRRACHINA II.

Inconſtans.

IOHANNAM Ladiſlai ſororem, Guilelmi Auſtriæ Ducis viduam, Proceres, triduo à fratris morte, reginam ſalutarunt. Illa omnium rerum adminiſtrationem Pandulfello Alopo Neapolitano amaſio ſuo, qui in Auſtriam eam comitatus fuerat, commiſit, tantoque illius amore tenebatur, vt cum eo rem illam dudum habuiſſe omnes crederent. Ipſa verò, quò tectius omnia gereret, omnemque hominibus cupiditatis Alopo nubendi opinionem eriperet, Iacobo Narbonenſi Piceni Comiti; è Borbonia familia, denupſit; Iacobo tamen diu quieto eſſe non licuit, quòd in ſuſpicionem veniſſet, fore vt Pandulfellum interfici, Sfortiam (qui à Regina amari credebatur) torqueri iuberet, quodque reginæ omnes vllas res gerendi, vias præcluſiſſet, regiamque in ſe ſolum auctoritatem prorſus tranſtuliſſet. Hæc vſque adeò Proceres irritabant, vt, inter ceteros Iulius Cæſar Capuanus reginæ cædem Iacobi polliceretur. Quòd quum illa Iacobo detexiſſet, mariti gratiam recuperauit, eiuſque conſenſu priſtinæ libertati è veſtigio reſtituta eſt. Neapolim tunc venienti, Viuat Iohanna regina, vna voce populus acclamauit, ibique retentæ auctoritatem regiam vſque adeò integram reddidit, vt, plena poteſtate, maritum in arce noua obſideret; quumque is neceſſitate coactus ſe dederet, in Oui caſtro eum cuſtodiri iuſſit. Tuta igitur à marito, à Ludouico item Andegauenſe (qui in Gallijs obierat, alioqui haud dubiè plus ei moleſtiarum aliquando creaturus) liberata; quaſdam in regno leges tulit, ſtructuram templi D. Nicolai abſoluit, aliaque laude non indigna confecit: quæ tamen diſſoluta mulieris cum Sergiano Caracciolo, Nobilitatis Neapolitanæ pulcherrimo, viuendi ratio magnoperè obſcurauit. Iacobus igitur Princeps de reditu in gratiam cum Iohanna deſperans, omnium inſuper odijs expoſitus, ſuperatis varijs infortunijs in Gallias redijt, annoque 1420. Veſontione, in cœnobio, vbi monachum induerat, diem extremum clauſit. Martinus etiam Pontifex RomamFlorentia regreſſus, vrbem Ladiſlai & Sfortiæ bellis vehementer attritam reperit, ac molem Hadriani reginæ adhuc præſidio munitam, quam tamen illa petenti Pontifici abſque mora reſtituit. Pontifex inuicem, eodem anno, Hieroſolymorum & vtriuſque Siciliæ regnorum iura omnia Iohannæ contulit. Ipſa Sergianum, quem amabat vnicè, quò magis extolleret, Peroſæ Ducem nuncupauit: moxque, bello inter Pontificem & Braccium Montaneam orto, Sfortiam Pontifici auxilio miſit. Sfortia, clade accepta, Caraccioli inſtinctu, reginæ gratia excidit, Braccius Sfortiæ ſurrogatus eſt. Pontifex hanc reginæ ingratitudinem ægrè adeò tulit, vt Iohannam iuribus regni excidiſſe pronunciaret, eaque in Ludouicum Andegauen. III. ſecundi filium transferret. Cui ſe ſtatim Sfortia coniugens, anno 1421. magno cum apparatu regnum inuaſit, multa loca occupauit, Andegauenſis etiam, paullò poſt, propè Neapolim cum claſſe viſus, tantum terrorem reginæ incuſsit, vt illa Alphonſum Aragonum & Siciliæ regem Ferdinandi filium adoptaret, eiuſque legatis omnes, Neapoli, arces traderet. Tum verò Alphonſus VII. Idus Nouembr. eodem anno Neapolim ingreſſus, magno cum honore exceptus eſt. Res exinde reginæ quum melius habituræ vederentur, ipſa ſolum Calabriæ Ducis titulum, Primogenitis regum olim dari ſolitum, Alphonſo detulit. Alphonſus autem, quum edicta & Conſtitutiones regias ſuo ſub nomine promulgari vellet, eam ob cauſam à regina diffidere cœpit, ac quum aliquamdiu hanc ob cauſam cum ea contendiſſet, ipſa Alphonſi, vt filij ergà matrem ingrati, adoptionem reſcidit, Ludouicum contra Andegauen. III. regni hæredem inſtitut; & quum Alphonſus Henrico fratri opem ferendi ergò in Hiſpanias abijſſet, quidquid locorum Hiſpani occuparant, regina recuperauit. Neapolim regreſſa, Ludouicum denuo ſucceſſorem pronunciauit, & Calabriæ Ducem eum conſtituit. Caraccioli amatoris ſui tandem pertæſa, interfici illum iuſſit IX. calend. Martij Anno 1435. inteſtinorum doloribus interijt; quòd Ludouicus III. anno ante ipſam proximo Coſentiæ obijſſet, Gallicæ ſtirpis Neapolitanorum Regum vltima. Corpus eius, Neapoli, in æde Deiparæ annunciatæ, exiguo marmore, ante ſummum altare, tegitur. Antequam obiret, Renatum Andegauenſem Lotharingiæ Ducem, Ludouici III. fratrem ſucceſſorem ſuum inſtituit.

XV. REX

XV. REGINA NEAPOLITANA.



RENA-

RENATVS ANDEGAVENSIS,

Afflictus.

EXtincta Iohanna, Primores regni in arce Noua coëuntes & teſtamento reginæ perlecto, quum RENATVM Andegauenſem legitimum ab ea hæredem & ſucceſſorem nominatum reperiſſent, ad aduentum vſque Andegauenſis, ſui ordinis quoſdam adminiſtrationi rerum præfecerunt: & ad omnes Europæ Principes ac reges literis datis, de hac ſucceſſione certiores eos fecerunt: eiuſdem Renati nomine copias collegerunt, & vt quamprimum in Italiam veniret, eum monuerunt, quod ab Aragonio iam tum adulterati teſtamenti accuſarentur. Eugenius etiam IV. P. M. quod ab Eccleſiæ Beneficio regnum penderet, ſe Vicarium eò mittendi ius & poteſtatem habere prætexebat. Aduentabat interim Aragonius, Neapolitanorum quorundam Procerum, qui cum ipſo ſentiebant, rogatu, 22. die Iulij anni 1436. & Caietam obſidebat, ſed nauali prælio à Genuenſibus qui vrbem liberatum venerant, captus, & Genuam primò, inde Mediolanum ad Philippum Vicecomitem abductus, ab eo, icto etiam fœdere, liber dimiſſus eſt. Legati interea ad Renatum miſſi, quum eum in pugna contra Antonium Comitem Valdemontium, propè Barum anno 1431. commiſſa captum, à Philippo adhuc Bono Burgundiæ Duce detineri comperiſſent, Iſabellam Lotharingicam ipſius coniugem ſecum Neapolim adduxerunt, quæ pro marito regnum adminiſtrare cœpit. Alphonſi potentia quotidie interim augeſcente, aduentu Andegauenſis plus etiam turbarum datum iri ſatis apparebat. Qui, numerata pecunia, è cuſtodia dimiſſus, quum in Narbonenſem Prouinciam veniſſet, manu militum collecta, 24. die Maij anno 1438. in regnum venit, & è veſtigio Iacobum Caldoram & Michelettum, cum copijs, quas in ipſius vſum collegerant, Neapolim miſit; &, quòd hoſti è regni finibus pellendo ſatis ſibi virium eſſe tanto in exercitu arbitraretur, Genuenſium claſſem dimiſit. Ac non multò poſt, ab Eugenio Pontifice Rex appellatus, ad oſtendendam ſingularem lætitiam, regio veſtitu, per totam vrbem obequitauit: Alphonſo autem cœptis deſiſtere nolenti ſingulare certamen obtulit, quod tamen, comparente licet Alphonſo, ſed negantibus ſe permiſſuros qui Renati partium erant, nullum fuit. Alphonſus tum temporis adeò viribus pollebat, vt expugnatis aliquot circùm Neapolim locis, vrbem tandem ipſam obſidione cingeret, continentibus tamen pluuijs paulò poſt inde pulſus quum eſſet, Renatus occaſionem, nouæ arcis tentandæ, quæ in Aragonij adhuc poteſtate erat, arripuit. Arx poſt vi captam S. Vincentij Turrim, 25. Auguſti anni 1439. Renato ſe dedidit. Alphonſus, contra, prudentia inſignis Princeps, quòd liberalitate ſua multos Procerum ac Ducum ſibi conciliaſſet, Auerſam, Beneuentum, ac Capreas inſulam hoſti eripuit. Tarentino etiam Principe ſuas in partes traducto, faciliorem ſibi aditum ad Neapolim obſidendam parauit, eaque aliquamdiu munimentis circumdata, extremò, Neapolitano quodam prodente, immiſſis militibus, poſtridiè calend. Iunij Anno 1442. potitus eſt, ac Proceres non paucos Andegauenſis factionis cœpit. Renatus, cuſtodia caſtri noui Antonio cuidam Caluo Genuenſi commiſſa, infortunium ſuum deteſtatus, cum Nob. lib. quibuſdam in Narbonenſem Galliam redijt. Diſceſſus illius faciliora omnia Alphonſo fecit ad vrbes arceſq; regni occupandas. Quod porrò ad Renatum attinet, is quod vitæ ſupererat, magna cum moleſtia luctuque tranſegit, omnibus ſuis liberis ſuperſtes Iolanda excepta, quam vt è manibus Burgundiæ Ducis liberaret, coactus, Valdemontio Comiti Friderico Antonij filio deſpondit. Et Iſabella priori coniuge, Caroli II. Lotharingiæ Ducis vnica hærede Iohannem (Mariæ Borboniæ maritum, in Hiſpanijs, vnico filio Nicolao relicto, qui tamen triennio ab obitu patris & ipſe interijt, defunctum) Mariam Angliæ regis vxorem, & quam diximus Ialandam genuit. Altero coniugio, nobilitatis Gallicæ virginem quandam Iohannam Vallenſem ſibi copulauit, neque diu tamen ea coniuge lætatus eſt; quòd morbum in quem inciderat medico non pateſeciſſet. Quo morbo lethaliter decumbens, hæredem ſuæ ditionis Ludouicum XI. Galliarum regem teſtamento inſtituit, & anno 1481. 19. Februarij rebus humanis exemptus, Andegaui in D. Mauricij templo humatus eſt, quum à morte Iohannæ ad eum vſque diem, quo ab Aragonio pulſus diſceſſit 7. annis, 4. menſibus Neapolitanus Rex fuiſſet.

XVI. REX NEAPOLITANVS.



ALPHONSVS ARA-
GONIVS,
Magnanimus.

QVum diuturnum ac permoleſtum bellum ALPHONSVS finijſſet, totumque regnum dicto audiens feciſſet, Beneuenti conuentum Ordinum indixit; ſed Regni Proceribus magis idoneam conuentui Neapolim exiſtimantibus ſeque vt eò veniret rogantibus non illibenter aſſenſus, eam vrbem IV. calend. Martij, anno 1443. triumphali curru, eò loci vbi mœnia obſidionis tẽpore tormẽtis diſiecta fuerant, victoris inſtar, ingreſſus, tanta ſolemnitate exceptus eſt, quantam Neapolis antea nunquã viderat. Antequam currum conſcenderet, in lætitiæ ſignum cõplures Equites creauit. Corona tamen laurea ab amicis oblata cingi noluit, magnaq; pompa, per vrbem, ad ſummum templum aduectus, Deo pro victorijs conceſſis gratias egit, à Neapolitanis deinceps rex publicè ſalutatus eſt. Memoriæ cauſſa, triumphi huius hiſtoriam marmoreo arcui portæ caſtri noui, Neapoli, incidi iuſſit, & ſequenti menſe cum Eugenio Pontifice pacem inijt, qui eum, beneficiario jure, regem de more appellauit, Ferdinandumque eius filium legitimum & paternæ ſucceſſionis capacem declarauit. Alphonſus deinceps Ferdinandum, petentibus regni Ordinibus (patri, vt credebant, magnoperè gratificaturis) Neapoli, in Sacra D. Laurentij æde, Calabriæ nuncupauit Ducem, quoq; magis hæc omnia confirmaret, Triſtanni Venuſiæ Ducis Ceperani Comitis, Antonij Principis Tarentini nepotis filiam Iſabellam ei deſpõdit, ſuamq; cõtra filiam notham Elenoram Marino Marzano Ioannis Antonij Seſſæ Ducis filio in matrimonium dedit. Anno 1444. cum Genuenſibus pacem fecit; quumq;, ſequenti anno, Philippus Bonus Burgundiæ Dux inſtituti recens, à ſe aurei velleris Equitũ Ordinis inſigne Neapolim miſiſſet, publica ſolennitate Alphonſus id accepit. Philippo Mariæ Mediolanenſium Duci contra Venetos auxilium tulit. Florentinos aggreſſus, paulò poſt pacem cum illis inijt. Quiete parta, Nouani arcem Neapoli muniendam curauit. Quum anno 1451. Fridericus III. Cæſar Erneſti ducis Auſtriæ filius, cum Eleonora coniuge Alphonſi nepte Romam vt coronaretur petijſſet, & magno cũ honore à Nicolao V. Eugenij Pontificis Succeſſore exceptus, & coronatus, Neapolitanum in regnum viſendi regis propinqui cauſſa veniſſet, tanta cum pompa ac magnificentia ab eo exceptus eſt, vt Alphonſus ab aliquot annis nihil propè aliud præmeditatus eſſe videretur, quàm quomodo tantum hoſpitem quàm magnificentiſſimè tractaret. Cæſar ita exceptus, cum coniuge Neapoli Venetias lætus abijt, Mediolanenſibus, Philippo Maria Duce ſuo mortuo, ad libertatem adſpirantibus, & Venetis in ſpem tanto principatu potiundi erectis, & cum Franciſco Sfortia fœdus ſancientibus: alia ex parte Aurelianenſis Dux Carolus, Philippi è Blanca filia gener, arma parabat. Alphonſus à defuncto Philippo Succeſſor nominatus, Renatum, in Florentinorum & Sfortiæ gratiam, Galliarum regis miſſu, in Italiam veniſſe intelligens, arma & ipſe induit. Renatus, Araragonium armatum, neque circa Neapolim tumultus quicquam moueri ſentiens, domum reuertit. Sfortia Dux à Mediolanenſibus ſalutus eſt. Pax, Pontifice auctore, inter Sfortiam, Venetos, Florentinos & Alphonſum ſubſequuta, Sfortia filiam ſuam Hippolitam Alphonſo Ferdinandi Calabriæ Ducis primogenito deſpondit. Anno 1457. orto rurſus inter Alphonſum & Genuenſes diſſidio, metu exercitus ab Alphonſo contracti, Genuenſes defenſorem adſciuerunt ſibi Carolum VII. Galiæ regem, qui continuò Iohannem Renati filium Lotharingiæ & titulotenus Calabriæ Ducem cum militum manu eò miſit. Hic receptam vrbem contra Iohannem Hydruntinum Marchionem, defendit quidem, ſed is tantas in anguſtias eam redegerat, vt breui occupaturus omninò crederetur, niſi mors Alphonſi interueniſſet. Alphõſus enim, viribus, ob nimias, quibus mirificè capiebatur, venationes exhauſtus, epilepſia, & accedente, dum in Campania Nolana eſſet, febri, Neapolim reuerſus, pridie Idus Iunij Anno 1458. interijt, Siculo & Aragonio ſceptris annis 43. potitus. Vt in Hiſpanias corpus auheheretur, corde Neapoli in æde S. Dominici tumulato, teſtamento cauit. E Maria Henrici III. Caſtiliæ regis filia, Iohan. II. ſorore cum liberos nullos haberet, Iohanni fratri Nauarræ regi, Siciliæ, Maioricæ, Aragoniæ, Valentiæ, Sardiniæ Corſicæ regna & Comitatum Barcinouenſem: Ferdinando notho ſuo Neapolitanum regnum ceu proprio Marte acquiſitum, ideoq; ad cetera regna nihil pertinens, teſtamento legauit. Alphõſi cadauer, regio more exenteratũ & aromatibus conditum Neapolitani arcæ aureo panno cõtectæ indiderũt, fortè vt in Hiſpanias mitteretur. Sed id in hunc vſq; diem in Sacrario templi D. Dominici permanſit. Fuit Princeps admodum religioſus, pius, liberalis & literarũ amantiſſimus, quod emblemate ſuo teſtatum reliquit, aperto libro, cui nihil inſcriptum erat. Ab eo tempore, quo Renatum expulerat 16. annis 21. diebus regnum tenuit.

XVII. REX

XVII. REX NEAPOLITANVS.



ALPHON-

FERDINANDVS ARAGONIVS,

pulcher.

HVic Calixtus Pontifex, ipſo ſtatim regnandi primordio, ſacris interdixit, ſubditis à iuramenti religione, quo ei tenebantur, abſolutis. Ab hac ſententia ad futurum Concilium prouocantem Regem, Pius Calixti ſucceſſor, paullò poſt liberauit, regni Beneficio ei hac conditione collato, vt vectigal Eccleſiæ debitum ſedulò penderet, Beneuentum & Terracinam, quas vrbes detinuerat pater, redderet: quod ſanè Ferdinandus confeſtim fecit, Mariam inſuper notham ſuam Anthonio Picolhomineo vxorem dedit: principatu Amalplutano, Comitatu Celani, ac magni Iuſtitiarij, qui vocatur, regni officio, dotis loco adiectis. Proceribus aliquot Tarentini principis inſtinctu, defectionem molientibus, ac Carolum VIII. Galliæ regem, Renatum Andegauenſem & Iohannem Lothatigiæ Ducem Renati filium ad capeſcendum regnum ſolicitantibus: Ferdinandus varijs rationibus ad pacandos Proceres eos fruſtra tentatis, copias eduxit, Venuſiam à rebellibus occupatam recepit. Renatus interim pater Iohanni filio, Genuenſi tumultu ſedato, conſcenſa claſſe ſuppetias tulit, Caietam anno 1459. 19. die Februarij veniens, lætiſſimè ab aliquot Proceribus ibi exceptus, Seſſæ præſertim Duce Ferdinandi ſororio, inceſtum eius cum vxore ſua commiſſum iactante. A Iohanne Ferdinandi res adeò turbatæ, vt à Cumanis & tota paſſim felice Campania Andegauenſia vexilla explicarentur. Succeſſus hi Iohannem adeò exhilararunt, vt in Neapolitanum portum adnauigaret, ſe viſo aliquid tumultus in vrbe oriturum ſperans. Eliſabetha verò Ferdinandi vxor vigilantiſſima mulier, marito confeſtim accerſito, vt Andegauenſis pedem referret, effecit, Caluiam tamen, Aquilam Nuceriam, Troiam & Manfredoniam hoſtis occupauit; Apulorum etiam quibuſdam vt ſe regem agnoſcerent, adductis. Seſſæ interea dux, regnum turbis peſſundatum iri cernens, inſidias Ferdinando ſtruebat, quæ finem tumultibus afferrent: ſed & fruſtra, Ferdinando viriliter ſeſe opponente, & Seſſæ Duce, tentati facinoris nomine peſſimè audiente. Mox Salernitanus, cum quibuſdam alijs regi ſunt reconciliati, cuius facti mox pœnitentia capti ſunt, quòd Ferdinandus Andegauenſis copias propè Sarnum denuo aggreſſus, magna clade accepta, ſummo cum labore vix Neapolim euaſerat. Sed Dux, quòd fortuna ſua vti neſciret, regni compos non factus: Ferdinandus paulatim, nunc hanc nunc illam regni partem recepit: &, adiutus à Mediolanenſi Duce & Georgio Scanterbego Epici principe, Iohannem & confœderatos non procul Troia anno 1462. deuicit. Tum verò, Andegauenſi

re ſenſim

te ſenſim labaſcente, Tarentino & Seſſæ duce, Ferdinando reconciliatis, Andegauenſis, per Seſſæ Ducem, vt domum ſibi redire incolumi liceret, impetrato, in Ænariam anno 1463. abijt Ferdinandus Neapolim triumphantis more ingreſſus, Marzanum, quem ſæpe dixi, Seſſæ Ducem, cum filio, in vincula coniecit: Beatricem, anteà Soſſani filio promiſſam, Marthiæ Hungariæ regi ſpopondit. Iacobum & Franciſcum Piccininos hoſtibus ſuis addictos occidi iuſſit. Iohannes, deſperato felici rerum exitu, Pithecuſis in Gallias cum multis exulibus Neapolitanis abnauigauit. Tunc Ferdinandus recepta inſula, in plenæ victoriæ memoriam, tormenta de hoſtibus capta conflari, & æneam portam illam eo ære fieri curauit, qua in porta, in arce noua, Neapoli, victoriæ omnes de Gallis à Ferdinando partæ muſiuo opere fabrefactæ repræſentantur. Anno 1473. Eleonoram filiam (Sfortiæ Mariæ Franciſci Mediolan. Ducis filios prius oblatum) Herculi Ateſtino Ferrariæ Duci deſponſauit. Florentinis inſtigantibus (quum Alphonſus Ferdinandi filius, Calabriæ Dux, homo inquietus & turbidus, apud Italos peſſimè audiret) Mahometes Turcarum Imperator Ferdinando Hydruntem ademerat: eam, licet Matthia Hungariæ rege genere, & multis alijs Principibus auxilia mittentibus morte etiam Mahometis interueniente, per Alphonſum tamen filium vix ægrè Ferdinandus recuperauit. Rhodijs etiam equitibus, non ſine laude, contra Turcas, auxilia præbuit: & Ferrariæ Duci contra Pontificem & Venetos; vbi Aphonſus, itinere per Pontificis fines negato, Romam obſedit, at non longè à Velitris acie victus fuga vix eſt elapſus. Tandem inter papam & regem tranſactum, Veneti ſunt excommunicati. Sed & hi, Renato, Iolandæ & Friderici Valdemontij filio, quamdiu vixit Siciliæ regis titulum vſurpare ſolito) vt regi moleſtiam crearent, euocato, quum anno 1484. cum rege pacem feciſſent, & anathematis vinculo, ab Innocentio VIII. eſſent ſoluti, effecerunt, vt Renatus domum ex templò rediret. Ferdinandus, ab Iſabellæ morte ſecundùm ſponſus, cum Iohanna Ferdinandi Aragoniæ regis filia factus, Friderico filio Carlottam Amedei II. Sabaudiæ Ducis filiam deſpondit. Rurſus deinde rebellantes proceres, & iam Pontifici confœderatos, auxilijs à Mediolanenſi, Hiſpano, & populo Florentino impetratis, domuit: vbi & fruſtra Proceres Fridericum Ferdinãdi filium à patre ad ſe miſſum retinuerunt regem illũ creaturi, eo, aſtu ab illis ſe ſubducente, & Renatus, vt à Pontifice inuitatus, redire abnuit. Arbitris Hiſpano Rege & Mediolani Duce, cõpoſitio ſequuta. Proceres regi recõciliati, multi rebellionis pænas dederũt. Liberalitus eide Ferdinandi ſumma erga ſubditos, extrema annonæ inopia ingruente, amorem ei ciuium tantum peperit, vt numiſmata, regis munificentiam teſtantia, publicè cuderentur. Carolo demum VIII. Galliæ rege, Renati in regnum Iura, in ſe tranſlata, præferente, Neapolimque petituro: Proceres aliquot quum denuò rebellaturi viderentur, Ferdinandus, licet ingenti ſolicitudine affectus, diſſimulato tamen metu non contemnendas & ipſe copias parauit. Inter hæc autem, catharrus & febris, cum quibus conflictari cœperat, eum 25. die Februarij Anno 1494. extinxerunt, natum annos 71. demptis 32. dieb. regnantem annis 35. menſibus 5. dieb. 25. Corpus eius arcæ inditum aureo panno contectæ, in D. Dominici templo Neapoli conditum eſt. Iſabella Claromontana prior coniux quatuor filiorum, duarum

duarum filiarum parentem eum fecit: Alphonſi Calabriæ Ducis, qui patri in regno ſucceſſit: Friderici Principis Squillacei, qui poſt Ferdinandum iuniorem rex fuit: Iohannis Cardinalis: & Franciſci Ducis S. Angeli; qui ambo ante patrem viuis exceſſerunt: Eleonoræ denique Ducis Ferrariæ: & Beatricis reginæ Hungariæ; filiarum. Iohanna Aragonia coniux altera, filiam marito vnicam, ſibi matri cognominem, peperit, Ferdinando II. regi poſteà deſponſatam. E concubinis liberos habuit: Cæſarem Caſertæ Comitem, Fridericum Hieraci Marchionem: Ferdinandum Arenæ & Styli Comitem, Montalti Dominum: Mariam denique, vxorem, primò, Iordanis Vrſini, deinde, Antonij Picolhominei nepotis Pij II. Pontificis: & Lucretiam, initiò vxorem Principis Altanouani; poſteà, Honorati Caietani Comitis Traiectenſis.

XVIII. REX NEAPOLITANVS.



ALPHON-

ALPHONSVS II.

Strabo.

AB exequijs Ferdinandi, ALPHONSVS eius filius, inſigni Procerum comitatu, cum duobus Equitum millibus, per vrbem ad ſummum templum contendens, & ab Archiepiſcopo rex pronunciatus, quum, magna pompa, regio in throno conſediſſet, Ferdinan. filium 24. annorum adoleſcentem Calabriæ Ducem nominauit, multis Magnatum, tum, lætitiæ ergò, in equeſtrem ordinem allectis. Alexander VI. poſtrid. Non. Maij anno 1494. regnum ei beneficiario jure, confirmauit, reclamantibus licet Galli legatis, & jura Renati in regem ſuum tranſlata cauſſantibus: Pontifex tamen, quod Alphonſus notham filiam ſuam Sanciam Gothofredo Borgiæ Pontificis filio, Sigiſmundum etiam ſpurium filium Lucretiæ Borgiæ Gothofredi ſorori deſpondiſſet, duplicatæ affinitatis nomine, cum Alphonſo, fœdus etiam, mutuæ defenſionis ſanxit: poſtquam Ludouicum Sfortiam Maurum fruſtra rogaſſet, vt, quos, in Italiam euocarat, Gallos domi contineret, rege, maximis iam apparatibus factis, Aſtam delato, & Friderico, Alphonſi fratre, Ligures, ac fruſtra quidem, infeſtante, ipſoque adeò Alphonſo, in caſſum, opem Baiazetis Turcarum Sultani implorante. Pontifex etiam, anathemate intentato, & Ferdinandi catholici auxilio inuocato, Gallum ab inſtituto itinere auertere conatus, nihil effecit. Carolus vbi Ticini Iohannem Galeacium juuenem (non ſine ſuſpicione veneni, à Mauro patruo porrecti, lethaliter ægrotantem) inuiſiſſet, fruſtra etiam à Galeacij coniuge Iſabella Aragonia, flebiliter, rogatus eſt ne Aragoniæ domui moleſtus eſſet. Placentiam inde petijt, vbi Galeacij Iuuenis morte audita, dum Florentiam Gallus abiret, Ludouicus interim Maurus, abſque æmulo, ad Mediolanenſem Principatum eſt euectus. Florentia (quam victoris inſtar, armato, ſub ſignis, exercitu, ingreſſus erat) Senas Gallorum Rex venit: inde, conceſſu Pontificis, Romam, Calabriæ Duce eodem momento, quo ingreſſus eſt Carolus, egrediente; Pontifex in Hadriani molem ſe contulit, donec, rege amicitiam eius expetente, fœdere cum eo iungeretur, ac, vt neutrum altreri obfuturum conſtaret, donec Neapoli Rex potiretur, ciuitatem veterem & Terracinam Pontificiæ ditionis oppida in poteſtate haberet, rex denique Neapolitanus ab eo inaugurareturn, quod quidem, rege Pontificē venerato, Pontifex, abſque Aragoniorum juris præjudicio à ſe factum Pontifex eſt teſtatus. Alphonſus interea, licet ad defenſionem omnia vndique ſedulò pararet, crebis tamen defectionibus, & continuis hoſtium ſucceſſibus territus, animo vſque adeò concidit, vt omnis gloriæ ſuperioribus bellis partæ oblitus, ſponte, regium nomen & auctoritatem omnem in Ferdinandum filium Calabriæ Ducem transferret, diplomate ſolenni, eam in rem, 23. die Ianuarij anni 1495. in montis Olиueti cœnobio, Neapoli, confecto. Idibus poſteà Februarij, quatuor triremibus pretioſa ſupellectili onuſtis, Mazaram Siciliæ vrbem à Ferdinando Hiſpaniarum rege ſibi donatam petijt: & quum eodem adhuc anno filium à Gallis regno pulſum vidiſſet, cancro qui alteram manum infecerat, febris acceſſit, qua, multis pœnitentiæ ſignis editis, deceſſit, fine, vt rumor erat, valde pio. Cadauer, in ſummo templo, Meſſanæ, tumbæ panno aureo contectæ illatum eſt. Anno vno diebus VII. Neapolitanis rebus Alphonſus rex præfuit. Ex Hyppolita Sfortia, Alphonſum in cunis mortuum, Ferdinandum regni ſucceſorem, & Iſabellam Iohanni Galeacio Mediolan. Duci deſponſatam, liberos tulit: nothus autem, Sigiſmundum Principem Biſigninum: Alphonſum Marchionem Quarantæ: & Sanciam Geofredi Sfortiæ vxorem.

XIX. REX NEAPOLITANVS.



FERDINANDVS II.

Promptus.

QVo die Alphonſus regia dignitate ſe abdicauit, eodem FERDINANDVS filius, regio veſtitu, Neapoli in vrbe obequitauit, Hiſpanico & Veneto legatis comitantibus. Et quum ad primariam ædem veniſſet, conſuetis adhibitis cærimonijs, rex pronunciatus eſt. Ac poſtquam à patris diceſſu, relictum ab eo exercitum collegiſſet ad S. Germanum ſe contulit, iter Gallis præcluſurus. Gallus intereà de Alphonſi fuga certior factus (fruſtra reclamantibus, & ſi Ferdinandum hoſtiliter perſequeretur, bellum ſuorum regum nomine indicentibus Ferdinandi & Iſabellæ legatis, quo cœperat, itẽ perrexit, fortuna illi adeò arridente, vt Sangermanum expugnaret, Aragonio confeſtim Capuam abeunte, & inde Neapolien ad compeſcendam ſeditionem vocato. Interim capua etiam Carolus potitus eſt, atque dignitates regni & munera ſuarum partium Proceribus conferre cœpit. Auerſa, deditione, à Gallis capta, Ferdinandus, animaduerſo Neapolitanos etiam ad Gallicas partes inclinare, & ſeſe in vanum aduerſanti fortunæ reluctari, in aream ante nouam arcem Nobilitatem & honeſtiſſimos ciuium vocatos eleganti oratione demulcere conatus eſt, qua parum adeò profecit, vt ægrè in arcem nouam ipſe rediret, & equilia regia fœdè diriperentur. Atque tum Ferdinandus, præſenti mortis metu percitus, armamentarium incendi, naues in portu ſtantes demergi iuſſit, Germanis corporis ſui cuſtodibus ſupellectilem arcis omnem diripiendam conceſſit: arce per auxiliatricem, quæ vocatur, portam exijt, triremibus, quibus cum Fridericus patruus vnà cum ſocru, Ferdinandi aui vidua, & vxore Iohanna expectabat, conſcenſis, paucis comitibus, in Ænariam inſulam contendit, ea quum ſua manu arcis cuſtodem interfeciſſet, vi potitus eſt. Carolus interea, enixè petentibus Neapolitanis, 21. Februarij vrbem ingreſſus eſt, ac ſummo cum gaudio exceptus, in arcem Capuanam diuertit, priſcis temporibus regum Gallicæ ſtirpis regiam. Caſtrum nouum, & Caieta, paullò poſt ei ſe dediderunt, Pithecuſis modò, Lipara, Brunduſio, Callipoli, & Rhegio cum Ferdinando ſentientibus. Neque Gallus, toto iam potitus regno, annuis reditibus lautis & principe omnino dignis Ferdinando, per Federicum patruum, oblatis, obtinere poterat, vt Ferdinandus regno cederet, recuſante actionem iſtum Friderico nepotis animum ſatis callente. Quin Ferdinandus tum temporis in Siciliam vela fecit, qui ſuarum adhuc partium Neapoli eſſent, ſpeculaturus, eiſque ſi res poſceret, è propinquo opem laturus. Carolo, Neapolitanis rebus, vt putabat, optimè conſtitutis, & hoſtibus ad Forum nouum victis, in Gallias reuerſo; Ferdinandus à Neapolitanis Gallorum inſolentiæ pertæſis accitus cum magna militum manu in Calabriam delatus, vbi Gallos cæcidiſſet, ac oſtentata, circa Neapolim claſſe, abſque mora in vrbem admiſſus, ac maiori, quàm anteà Gallus, cum lætitia, exceptus eſt. Mompenſerio vrbe pulſos arcem Nouam deditione obtinuit. Ope deinde Conſalui Magni, ab Hiſpano rege ſibi auxilio miſſi, maxima regni parte recuperata, nec exigua ſpe de ſe excitata, Sonimæ, ad radices veſuuij montis, quò ad reginam coniugem venerat, ſeu laboribus exhauſtus, ſeu liberius genio indulgens, in morbum incidit, ac deſperata iam vita, Neapolim auectus, vitam ibi finijt, primo, à patris morte, regni anno nondum exacto: Ex Iohanna, aui Ferdinandi filia, Ferdinandi Catholici, ex ſorore, nepte, nullis ſuſceptis liberis. Neapoli maiorum tumulis illatus eſt, ſuccedente Friderico patruo. Ita reges, intra triennium, quinque Neapolis habuit.

XX. REX

XX. REX NEAPOLITANVS.



FRIDE-

FRIDERICVS II.

Exul.

MOrtuo Ferdinando II. vidua Ferdinandi I. Iſabella, ſecus quàm vulgò putabatur, Arcem nouã non fratri Ferdinando Catholico reſeruauit, ſed FRIDERICO reddidit: quem magno conſenſu anno 1497. Proceres regem ſalutarunt, non obſcura ſpe ducti, clementem Dominum habituros. Ab Alexandro VI. Pontifice regium nomen & poteſtatem impetrauit, & S. Angeli montem recepit. Sequenti anno Carolus Galliarum rex Amboſiæ animam exhalauit, cui Ludouicus Aurelianenſis Dux, ceu proximior hæres ſucceſſit, Regum, eo nomine XII. Is quum ſe de Neapolitano regno decerpere ſaltim aliquid poſſe ſperaret, Friderico tamen viribus imparem eſſe ſentiret, cum Hiſpano Ferdinando ea conditione fœdus pepigit: Neapolitanum regnum debellarent, partumq; ita diuiderent, vt Campania felix, Samnium, & Neapolis Gallorum eſſent: Hiſpani Calabriam & Apuliam retinerent. Anno itaque 1501. Gallicæ copiæ Neapolim verſus progrediebãtur: & quanquam celebris ille Dux Conſaluus fœderis, quod diximus, ſe ignarum prorſus ſimularet, & Friderico auxilia polliceretur; tamen hoſtilem animum tandem oſtendit, ſexque triremes Neapolim miſit, quibus reginæ duæ ſoror ac neptis regis ſui, aueherentur. Opponebat ſe aliquamdiu Fridericus, ſed quia cum duobus potentiſſimis hoſtibus negotium ei erat, Neapolim abijt, & poſtquam Capuam, Auerſam, aliaque regni loca aduerſarij cepiſſent, in arcem tandem nouam ſeceſſit. Tum vero Neapolis quoq; ad conditiones deſcẽdit. Fridericus cum Obignino Galli regis legato ita pepigit, velle ſe omnia quæ adhuc in regno teneret, intra ſex dies Obignino tradere, ſi Pithecuſas ſex adhuc menſibus retinere permitteretur. Hoc conceſſo, eam in inſulam abijt, miſerabili ſanè ſpectaculo, quum eodem ipſo tempore ſororem ſuam Beatricem Matthiæ Hungariæ regis viduam à Ladiſlao Bohemo repudiatam intueri, & Iſabellam Mediolanenſi Duci nuptam veneno interemptam lugere cogeretur, qui caſus peracerbi, præter violentam è regno eiectionem, luctum Friderico duplicarunt. Quare fortuna indies magis ac magis aduerſante, quòd ſummum in Hiſpaniarum regem odium cõceperat, committere ſe Gallo cõſtituit; à quo quum fidem accepiſſet, in Gallias ſe contulit, Ænaria & Tarento præſidio munitis. Rex humaniſſimè Fridericum excepit; Andegauenſi Principatu ei tradito, & 30. Ducalium, qui vocantur aureorum millibus, annuo reditu, aſſignatis. Tum è veſtigio Pithecuſæ etiam ſeu Ænaria Gallo eſt dedita. Exercitibus itaque regum parciendò regno occupatis orta inter Duces diſcordia, Marte judice, eo euentu, finita eſt, vt Hiſpani victores Gallos toto regno pellerent. Vnde ab eo tempore Ferdinandus Hiſpaniæ rex, qui iam ante Sicilia etiam potiebatur, poſt hac Siciliæ etiam cis & vltra Pharum regem (priorum ſcilicet exemplis) ſeſe ſcripſit. Fridericus verò anno 1505. in Gallijs naturæ conceſſit: Charlotta, de qua antea, coniux Sabauda, à mariti obitu, duobus cum filijs, ad Herculem Ateſtinum Ducem ſe contulit, qui Leonoram Ferdinandi I. filiam in matrimonio habebat.

XXI. REX

XXI. REX NEAPOLITANVS.



FERDINANDVS III.

Catholicus.

FERDINANDVS Aragonius (ob pulſos Hiſpanijs Mauros, & alia erga Eccleſiam Romanam officia Catholici nomen adeptus (quo nomine omnes eius poſteri Hiſpaniarum Reges hodieque adhuc appellantur) Friderico Neapoli ſucceſſit, Siciliæ, pridem, rex, Iſabellæ Caſtiliæ reginæ maritus, è qua quem ſuſceperat Ferdinando filio Margaritam Auſtriacam deſpondit. Sed quum is ante patrem moreretur, vt vnicæ filiæ Iohannæ pater optimè proſpiceret, Philippo Auſtriæ Archiduci, Maximiliani Cæſaris, & Mariæ Caroli Ducis Burgundiæ ad Nanceium interfecti filiæ vnicæ filio nubere eam voluit. Eliſabetha itaque regina anno 1505. mortua, quum Philippus in Hiſpanias iter ſuſcepiſſet, cum ſocero ita tranſegit, vt Philippus Caſtiliæ rex maneret, Ferdinandus Aragoniam & Neapolitanum regna obtineret. Mox Aragonius, ea in regna profectus, quum Neapolim veniſſet, ſuſceptus ibi, & rex ſalutatus eſt, vbi ſimul ea etiam ſuſpicione liberabatur, quam de Conſaluo alebat, eum, videlicet, Ducem fortiſſimum, regnum illud affectare, aut certè Archiduci velle tradere. Conſenſu poſtea Pontificis, ægrè & difficulter, impetrato, Ferdinandus cum Ludouico Gallo Sauonę colloquutus eſt. Quo colloquio diu protracto, cōuiuijs multis celebratis, amicè vtrimque diſceſſum eſt. Anno 1506. Philippus Archidux in Hiſpanijs diem obijt; relictis ex Iohanna coniuge liberis: Carolo poſtmodum Imperatore: Ferdinando Caroli poſtea in Imperio ſucceſſore: Eleonora Emanuelis, primùm, Luſitaniæ, poſtea Franciſci Galliæ; Iſabella, Chriſtierni Danorum; Catharina Iohann. III. Luſitanorum: & Maria Ludouici Hungarorum: regum vxoribus. Philippo patri Carolus filius primogenitus in regnis per mortem auiæ maternæ ad ipſum deuotatis, & in omnibus Belgij prouincijs ſucceſſit; quibus, Ferdinando mortuo, Aragonia etiam, Sicilia, & Neapolis acceſſerunt. Ferdinandus enim anno 1516. obijt, quum annos ætatis haberet 65. Hiſpanici regni 42. Neapolitani 10. Granatæ ſepultus. Iſabellam, vt dixi, Caſtellanam vxorem habuit, cum qua adeò feliciter vixit, vt vtrique Hiſpaniam propè omnem ſceptro ſuo ſubijcerent, totamque vnà rempublicam adminiſtrarent, titulo regis & reginæ Hiſpaniarum vſi. Ac per Iohannam quidem, quam Philippo Auſtrio Ferdinandus deſponſauerat, Auſtria domus ad maius etiam faſtigium, quàm per Mariam antea, Maximiliani coniugem, Burgundiæ hæredem adepta fuerat, conſcendit.

XXII. REX NEAPOLITANVS.



CAROLVS V. IMPERATOR. Victorioſus.

CAROLVS V. Imperator, & quartus, hoc nomine, rex Neapolitanus, Philippi Archiducis & Iohannæ Hiſpaniarum reginæ filius, anno 1500. natus, patre in flore ætatis extincto, cura Maximiliani, aui ſub Hadriāo præceptore (qui poſt Leonem X. Pont. max. fuit) educatus, anno ætatis 19. auo Imperatore mortuo, Cæſar creatus eſt, & Bononiæ à Clemente VII. Pontifice Hadriani ſucceſſore coronatus. Ad clementiam ſemper promptus, omni genere virtutum excellens, benignus, in neutra fortuna immodicus, Siculo & Neapolitano regnis quum auo materno ſucceſſiſſet, tumultus ijs in regnis omnes ſuſtulit, ac vt pacis & tranquillitatis ſtudioſiſſimus, ingenti labore, ſeditionum flammas concionibus Lutheri excitatas extinguere ſategit. Synodum itaq; Tridentinam indicendam curauit. Primus Germanorum Cæſarum in Affricam iuit, vbi Tunetum expugnauit, Muleaſſem Tuneti regem pulſum reſtituit: Regem etiam Galliæ frequentibus bellis aggreſſus, aliquando captiuum ſuum in Hiſpania vidit, quum is, pugna Ticinenſi amiſſa, ex Italia eò eſſet abductus. Regis porrò huius copiæ quum Neapolim obſiderent, ſummus earum, magni nominis, Dux Lautreccus peſte, quæ in caſtris graſſabatur, vnà cum maxima Gallorum parte ſublatus eſt. Sfortiæ quoque Franciſco Mediolanenſem Ducatum Carolus reddidit, Sabaudiæ Duci contra Gallos auxilium tulit, Geldriam occupauit, Gandauenſes ſeditioſos ad officium reduxit, Iohannem Fridericum Saxonum & Philippum Chaltorum Principes, bello contra eos ſuſcepto, cœpit, vrbes aliquot Germaniæ liberas, quæ Lutheri dogma amplexæ erant, nec Carolum Imperatorem agnoſcere volebant, officium facere compulit; Turcarum regem Solymanum ab obſidione Viennæ Auſtriæ repulit: octodecim noui orbis regna, & alias Atlanlici maris inſulas ſibi ſubiecit: natus tandem annos 57. poſt partas tot victorias, Ferdinandum fratrem Romanorum Imperatorem dicendum curauit: regna verò cetera & ditiones ſuas Philippo filio reliquit. In Hiſpanias deinde profectus, cum duodecim familiaribus cœnobium inſtituti Hieronymiani ingreſſus, ibi reliquum vitæ tempus, ſanctis meditationibus, & precando (tametſi ſeptem tantum menſibus ſuperſtes) exegit, donec graui morbo corriperetur, quo, poſtquam omnibus S. Eccleſiæ Sacramentis munitus eſſet, anno Chriſti 1558. ætatis 58. 21. die Septembris deceſſit, Granatæ ſepultus. Iſabella Emanuelis Luſitaniæ regis filia coniux ei fuit, anno 1539. defuncta, ſequentium liberorum mater: Ferdinandi, qui adoleſcens mortuus; Philippi; qui patri in regnis Hiſpaniarum, Siciliæ, Neapol. Indiarum & ſucceſſit; Mariæ, quæ Maximiliano II. Cæſari nupta fuit, Ferdinandi filio, Caroli, è fratre, nepoti, Rudolphi II. Cæſaris hodieque imperantis patri, & Iohannæ vxoris Iohannis IV. regis Portugalliæ. Vltra legitimos hoſce Carolus alios quoque nothos habuit: Iohannem ſcilicet Auſtriacum heroëm magnanimum, qui, dum cum Belgis rebellantibus belligeraret, obijt: & Margaritam, primò Alexandri Medicis primi Florentiæ Ducis à Laurentio Medice occiſi coniugio potitam, deinde Octauij Farneſij Parmos Ducis ac Placentiæ. Hæc Margarita, initio Belgicorum tumultuum, prouincijs illis præfuit. Carolus duobus & quadraginta annis Neapolitano & Siculo regnis dominatus eſt.

XXIII. REX NEAPOLITANVS.



PHILIPPVS II. REX HISPANIARVM.

PHILIPPVS II. (cui Carolus Cæſar pater, viuus adhuc, ampliſſimis tot & florentiſſimis regnis ceſſerat) nunquam non magno erga Catholicam religionem Zelo arſit, quem inſigniter teſtatum fecit, quum Indis Euangelium prædicandum curaſſet; quo ſuſcepto, ethnicos illi errores & ſuperſtitiones abiecerunt. Idem eandem Catholicam religionem quam Eduardus Mariæ Philippi coniugis frater & anteceſſor in Anglia abrogauerat, vnà cum eâdem coniuge ſua, reſtituit: neque vlli vnquam ſumptui, labori, aut diligentiæ pepercit, quò rebelles ſubditos Belgas, diuerſis præſidibus ſeu Ducibus eô, copijsque miſſis, ad gremium Eccleſiæ reduceret. Et quum ante exorta Belgica bella in Belgio adhuc eſſet; anno 1557. die D. Laurentio ſacra, propè S. Quintinum inſigni pugna Gallos deuicit, ac in tantæ victoriæ memoriam, Deique & S. Leuitæ Laurentij honorem, inſigne illud cœnobium in Eſcuriali (ob magnificentiam ſeptem terrarum orbis miraculis meritò annumerandum) in Hiſpanijs exſtrui juſſit. Penonem de veles, in Africa, munitum locum expugnauit. Anno 1565. Meliten inſulam à Turcis oppugnatam auxilijs miſſis defendit. Ioannem Auſtriacum eius claſſis imperatorem creauit, quam anno 1571. contra Turcas, Venetis & Pontifici, quibus confœderatus fuit, auxilio miſerat; vbi propè Patras tam inſignis victoria Chriſtiani parta eſt, vt Othomannica domus intra 100. annos tantum cladis & ignominiæ accepiſſe non credatur. Cum Henrico tandem IV. Galliarum rege, poſt diuturna inter eos bella, pacem inijt, quæ bellicis tumultibus, qui à tempore Franciſci II. Gallias propè euerterant, finem attulit. Itaque rex Catholicus opere ipſo ſemper oſtendit, quidquid ipſi Deus opum, quidquid virium conceſſiſſet, id omne eum ad defenſionem Catholicæ Eccleſiæ, & hoſtium illius interitum conuertere cupiuiſſe: quo in propoſito rex optimus, ad vltimum vſque vitæ ſuæ diem, iduum ſcilicet ſeptembris anni 1598. perſeuerauit. Ætatis ſuæ anno 72. febri extinctus, in Eſcuriali S. Laurentij monaſterio quieſcit. Initio, Iohannis III. Luſitaniæ regis filiam Mariam coniugem habuit, vnumque ex ea filium Carolum, ante patrem miſera admodum morte ſublatum. Altera vxor Maria fuit Angliæ regina, Henrici VIII. filia, quæ ſine liberis obijt. Tertia, Henrico II. Galliarum rege genita Eliſabetha, mater Iſabellæ Claræ Eugeniæ Alberto Auſtriæ archiduci deſponſatæ, cui pater moriens, dotis loco, Belgicas ditiones reliquit: & Catharinæ, quæ maritum Carolum Emanuelem Sabaudiæ Ducem habuit. Quarto demum coniugio Annam Mariam ſibi copulauit, Maximiliani II. Cæſaris filiam, conſanguineam ſuam, quæ Philippum III. Hiſpaniarum hodieque regem peperit. Ipſe verò XXXX. annis ſceptra Siciliæ & Neapolitani regnorum tenuit, Beneficio vtriuſque regni, ſolenni ceremonia, à Pontifice collato. Regna illa, perpetuò miſcis proregibus adminiſtrauit: atque quo anno Philippus Rex moriebatur, Oliuarium Comitem Neapolis proregem habuit.

XXIV. REX

XXIV. REX NEAPOLITANVS.



PHILIP.

PHILIPPVS III. REX HISPANIARVM.

PHILIPPVS III. Omnium patris regnorum ditionumq́ue hæres, in eodem prorſus animi ardore, quo maiores eius tenebantur, catholicam tuendi Eccleſiam perſeuerans 18. die Aprilis anno 1599. Margaritam Auſtriacam Caroli Archiducis filiam vxorem duxit, quæ à matre in Hiſpanias deducta eſt, comtante Alberto Archiduce, qui eodem tempore, regis, quam diximus, ſororem Iſabellam Claram Eugeniam ducebat, atque hodieq́ue Brabantiæ, vnà cum coniuge, Dux cum rebellantibus Belgis belligeratur. Philippo regi anno 1601. filia nata eſt, pluréſq́ue ipſi, feliciter, hæredes natum iri Deo clementer largiente, minimè deſperamus: ac regiæ eius maieſtati multos annos vitamq́ue longam, ad catholicæ Eccleſiæ cum ornamentum tum incrementum, à Deo Opt. Max. apprecamur.


XXV
SPES
FVTVRI

REGVM NEAPOLITANORVM.

Numerus.	Nomina.	Coniuges.	Anni regni	Anni ætati.	Anni obitus.	Sepulchra.	Liberi.
I.	ROGERIVS Normannus.	1. Airolda Caſertana. 2. Albira Hiſpana. 3. Beatrix Reſten.	38.	59.	1149.	Melitæ Calabrorum.	1. Rogerius 2. Arnolphus. 3. Guilhelmus 4. Conſtantia.
II.	VVILHELMVS Malus.	Margarita Garzia Nanarrea.	19. menſ. 10.		1167.	Panormi.	1. Rogerius. 2. Guilelmus. 3. Henricus.
III.	GVILELMVS bonus.	Iohanna Anglia.	20.		1187.	Panormi.	Nulli.
IV.	TANCREDVS.	Sibylla	8. menſ. 5.		1195.	Panormi.	1. Rogerius. 2. Guilelmus. 3. Alteria. 4. Conſtantia. 5. Modonia.
V.	HENRICVS Sueuus Caſ.	Conſtantia	4. menſ. 1.	40.	1200. 4. Iduum Maij	Panormi.	Fridericus.
VI.	FRIDERICVS Cæſar.	1. Iole Brennerſis. 2. Conſtantia Aragonia. 3. Agnes Morauienſis. 4. Ruttina VVolfhartzhuſana. 5. Eliſabetha Bauara. 6. Mechtildis Angla.	51.	62.	1250. Idib Decembr.	Panormi.	1. Henricus. 2. Iordanus. 3. Conradus. 4. Fridericus. 5. Agnes. 6. Henricus. 7. Conſtantia. nothi. 1. Fridericus. 2. Manfredus. 3. Hencius. 4. Anfiſus. 5. Fridericus. 6. Anna.
VII.	CONRADVS.	Eliſabetha Bauara.	2. dies 13.	28.	1255. 4. nona. Ianuar.	Neapoli.	Conradinus.
VIII.	MANFREDVS.	Helena.	10. menſ. 4. dies 10.	30.	1265.	Prope fluuiũ Marim.	1. Henricus. 2. Geofredus. 3 Manfredus. 4 Conſtantia.
IX.	CAROLVS ſanguinarius.	Beatrix Narbonen.	20.	70.	1285. 7. Idg Februar.	Neapoli.	1. Carolus claudus. 2. Philippus.

Numerus.	Nomina.	Coniuges.	Anni regni	Anni ętatis	Anni obitus.	Sepulchra.	Liberi.
X.	*CAROLVS II. Claudus.*	*Maria Hungaria.*	*25. dies 17.*	*62.*	*Proprid. nonas Maij.*	*Arelate prouinc. Narbonen.*	*1. Carolus.* *2. D Ludouicus Toloſanus.* *3. Robertus.* *4. Philippus.* *5. Iohannes.* *6 Petrus.* *7. Raimundus* *8. Triſtamus.* *9 Clementia.* *10 Blanca.* *11. Eleonora.* *Nothi.* *1. Galeacius.* *2. Renatus.* *3. Carolus Arteſius.*
XI.	*ROBERTVS pius.*	*1. Violanta Aragonia.* *2. Sancia Aragonia.*	*33. menſ. 4. dier. 24.*	*50.*	*1343. 20. Februarij.*	*Neapoli.*	*1. Ludouicus.* *2. Carolus.* *3. Maria. notha.*
XII.	*IOHANNA I.*	*1. Andreas Hungarus.* *2. Ludouicus Tarentinus.* *3. Iacobus Maioricenſis.* *4 Otho Brunſuicenſis.*	*39.- - - - -*	*49.*	*1382. 22. Maij.*	*Neapoli.*	*improlis.*
XIII.	*CAROLVS III. Dyrarchinus*	*Margarita.*	*3.- - - - -*	*38.*	*1385.*	*in mare proiectus.*	*1. Ladislaus, ſeu Lancelottus* *2. Iohanna*
XIV.	*LADISLAVS, ſeu Lancelottus.*	*1. Conſtantia repudiata.* *2 Marietta Luſignana.* *3. Maria Leccenſis.*	*28. menſ. 8. dier. 13.*	*38.*	*1414. poſtridie non. Auguſti.*	*Neapoli.*	*Nothi.* *1. Carolus.* *2. Maria.*
XV.	*IOHANNA II.*	*1. Guilelmus Auſtriacus.* *2. Iacobus Narbonenſis.*	*20. menſ. 5. dier. 26.*	*64.*	*1435. poſtridie Cal. Februarij.*	*Neapoli.*	*Improlis.*
XVI.	*RENATVS.*	*1. Iſabella Lotharinga.* *2. Iohanna Vallenſis.*	*7. menſ. 4.*	*78.*	*1481. 19. Februarij.*	*Antegaui.*	*1. Iohannes.* *2. Ludouicus.* *3. Margarita.* *4. Iolanta.*

Numerus.	Nomina.	Coniuges.	Anni regni	Anni ętatis	Anni obitus.	Sepulchra.	Liberi.
XVII.	ALPHONSVS Caſtulonenſis.	Maria Caſtulonenſis.	43. - - - - -	64.	1458. 4. calend. Iulij.	Neapoli.	Ferdinandus nothus.
XVIII.	FERDINĀDVS.	1. Iſabella claromontana. 2. Iohanna Aragonia.	35. menſibus 5. dieb. 25.	71.	1494.	Neapoli.	1. Alphonſus. 2. Fridericus. 3. Iohannes. 4 Franciſcus. 5. Eleonora. 6. Beatrix. 7. Iohanna. Nothi. 1. Cæſar. 2. Henricus. 3. Ferdinādus 4. Maria. 5. Lucretia.
XIX.	ALPHONSVS.	Hyppolita Sfortia.	1. dieb. 7.	36.	1495. 19. Nouembr.	Meſſanæ.	1. Alphonſus. 2. Ferdinādus 3. Iſabella. Nothi. 1. Sigiſmūdus 2. Alphonſus. 3. Sancia.
XX.	FERDInandus II.	Iohanna Aragonia.	menſ. 10.	30.	1496.	Neapoli.	Improlis.
XXI.	FRIDERICVS.	Carlotta Sabauda.	5. - - - - -	42.	1505.	Andegaui.	1. Alphonſus. 2. Ferdinādus
XXII.	FERDInandus catholicus.	Iſabella Caſtulonenſis.	16. - - - - -	65.	1516.	Granatæ.	1. Ferdinādus 2. Iohanna.
XXIII.	CAROLVS 5. Cæſare.	Iſabella Luſitana.	42. - - - -	58.	1558. 21. Septembr.	Granatæ.	1 Ferdinādus 2. Philippus. 3. Maria. 4. Iohanna.
XXIV.	PHILIPPVS II.	1. Maria Luſitana. 2. Maria Angli. 3. Iſabella Valeſia. 4. Anna Maria Auſtria.	40. - - - -	72.	1598. Idib. Septembr.	Eſcurial.	1. Carolus. 2. Iſabella. 3. Catharina. 4. Philippus.
XXV.	PHILIPPVS III.	Margarita Auſtria.	6. hoc anno 1604.	26.	Viuit & regnat anno 1604.		1. Anna Maria Margarita Mauritia. 2. Philippus Dominicus victorius.

FINIS.

Errata paucula æquus lector, vbi occurrent, ipſe facilè emendabit : quod vt beneuolè facere ne grauetur, obnixè petimus.



AVGVSTÆ VINDELICOR.
TYPIS IOHAN: PRÆTORII

SVMTIB. DOMINICI CVSTODIS
Anno

M. DC. V.

SPECIAL 88-B
5111